DE MEDICAMENTORVM SIMPLICIVM PRAEPARATIONE, LIBER SECVNDVS.

***

HAEC pharmacopœiæ pars vilis & hominis eruditi ingenio indigna nemini debet videri, cum medicamẽtorũ compoſitorum facultates propemodum totæ ab hac proficiſcantur. Quæ enim vis, quis vſus ſimpliciũ medicamentorum citra trituram, coctionem, infuſionem, & alia pleraq; poſt dicenda eſſe poſſit? Quæ miſtio ad compoſitionem omnino neceſſaria ſine his prę̨parationum modis fiat? Quam autem facultates non ſimplicium modò, ſed etiã compoſitorum varient, vel ſola præparãdi ratione tam apertè poſtea cõdiſces, vt neque teſtibus, neque demonſtratione longa opus ſit. Quóque difficilius fuit rem à nemine hactenus tentatam ceu nouam excitare, & in hominum manus & animos ponere: eo mea ſententia erit

& præclarius. Quanquam enim Hippocrates, Galenus, aliique celebres medici, vt interim empiricos taceam, leuiter simplicium medicamentorum quorundam præparationem attigerũt, & nonnullos se priores medicos de præparandi ratione quædam scripsisse testetur Galen. tamen nullus hodie extat quem sciam, qui hac de re aliquid memoria dignum absoluerit: præterquã quod pauca quædam, sed tamẽ legi dignissima, de quatuor præparãdi generibus, tritura, coctione, vstione, infusione, Mesues in sua methodo deligendi medicamenta purgatoria & castigandi perstrinxit. Nam quæ Seruitor nescio quis partim ex Dioscoride deprauauit, partim ex indoctis collegit, quis ferat?

His nos rationibus cõmoti ex Hippo. Dios. Galeno, aliisque permultis quorũdam simplicium præparationes passim dispersas, in ordinem congessimus, multas ipsi & inuenimus, & experti sumus, & à doctissimis hac ætate pharmacopœis didicimus. Quæ dum à nobis stylo mediocri scripta legis, candide lector, tecũ reputa nos rudibus introducendis hæc scribere, quorũ captui seruire malui res nudas docendo, quàm singulorum ra-

tionem prolixius afferre: quãuis & id ad rẽ propoſitam felicius abſoluendã, plurimum pertinere videatur. Porrò præparationem exequi ſtatui medicamentorum ſimplicium tantum, non aliarum etiam rerum, per quas omnes pręparationis ratio & virtus ſpargitur: vt nihil à natura gignatur, augeatur, aut alio quouis modo moueatur citra præparationem: nihil artes tam mechanicæ quàm aliæ omnes tentant non adhibita prius præparatione aliqua, per quam ars ſæpe naturam vincere videtur.

Medicamenta præparare eſt, ipſa per artem vſui vel compoſitioni commodiora reddere, hoc eſt, vel mitiora, vel valentiora, vel gratiora, vel ſalubriora, vel magis miſcibilia, & vt paucis dicã, meliora vel ad vtendum vel ad componẽdum. Quædam enim vbi à nobis ſunt præparata, etiam citra compoſitionem mox vſurpamus. Plurima autem prępărata ante vſum ad compoſitionem veniunt. Ad prępărationis quoque vim (de qua paulò poſt dicam fuſius) reducendum putamus cum vnam medicamenti facultatem nobis in præſens noxiam tollimus, vel optatam detegimus, vel nouam acquirimus.

At verò medicamenta omnis generis

metallica inquã, plantas, animãtia, vel ex iisdem sępe alimenta, paramus interdum adhuc viuentia, frequẽtius emortua. Terrã enim lemniã (quæ dum adhuc in colle est ex quo effoditur, velut in matre viuere videtur) sacerdos Dianæ dũ sumit spar so tritico & hordeo piamenta ritu patrio faciens prępparare videtur, vt hinc magnã virium suarum partem, nisi etiam vires suas omnes consequi putetur. Nónne arsenicũ in sandarachã, & sori in chalcitin, chalcitis in misy prõptius in vena ipsa trã sibit, si specũ ipsum soli meridiano aperueris? Ratione eadẽ vomica hydrargyri si in solẽ erũpat tenuior euaserit, & sulfur in Vesuuio vel alio monte vstum minus quidẽ oleosum sed tenuius euadit. An nõ longa & asperrima hyeme qua vẽtres ac viscera terræ plus calidi habẽt, metalla omnia largius gigni & plenius augeri recipimus? Nam & mihi aureę quædã velut arbores in durissimis quibusdã lapidibus visæ sunt, & velut quędã arbores ex auro & argẽto rudimenta, vt nõ ambigã quod doctè Augerellus in chrysopœia scripsit, metalla in momẽta gigni, nutriri, augeri, perfici, etiam si puteus Hãnibalis, & metalla Iluę Tyrrheni maris insulę inexhausta, & alia pleraque huius rei testimonia

Lib. 9. simpl.

dare, fidémque facere poterant.

Lib. 9 Simp. In fossam super collem in Cypro pluuia recepta per venam misyos, chalciteos soreos transfusa in specum subditum, quædam est chalcanthi præparatio aut verius generatio.

Viuētem raphanum insertis in eius radicē fibris aliquot ellebori nigri, purgatricem facimus: & fructus arborū purgatorios scarificato ipsarum cortice, quo tē pore saliua conscendit & immisso in plagas scammonio, ceráque super vulnus data & deligata.

Mes. in canonibus vniuersalibus. Tempus præterea expectamus idoneū donec matura sint vel vigentia, vel sicca quæ lecturi sumus, & cælum plantæ propitium: sæpè etiam lunæ quadraturas spectamus, vt efficacior sit planta tunc colle cta, dum arbores ablaqueamus, dum vites putamus, propagamus, sarrimus, deca cuminamus, festucamus: harum plantarum fructus non modò vberiores, sed etiam meliores reddimus.

Lib. 3. alimē. Idonea victus ratione nutricis lac prę-paramus, vbi nutritius affectu aliquo laborat, quomodo & asininum Galen. lib. 7. Metho. & vaccinum recessu Tabiarum libro Method. quinto. Porcos, capros, arietes, tauros iuuenes castramus, vt eorū caro

caro sit suauior, plenioris alimenti, coctu facilior.

Glandulæ mammarum præsertim vaccinarum & suillarum, dum lacte suo tument, meliores quàm exuccæ: vnde & sumen porcæ recens fœtæ à ganeonibus laudatum legimus. *Ibid.*

Coagulum in primo vẽtriculo animalium lacte nutritorum ex lactis corruptione genitum venatu animalis efficacius euadit, vt animalium propè omniũ, non solum ferorum caro.

Gallum veterem venatu quoque exercemus, & meliorem ad purgandum clementer suo succo nitroso reddimus.

Vulpes ætate florentes venatu multo fatigatas, si bene habitas, si oleo incoquimus, multò digerentius oleum efficimus. Si verò eas vuis impinguatas post vindemias capimus, esui sunt iucundiores.

Porci segetibus nutriti firma fiunt carne, glandibus verò præsertim faginis, laxa & fluxili & promptè liquabili.

Hircum quadrimũ dum mensibus aliquot antequã iugulemus, herbis nutrimus calculum frãgentibus, & vino albo generoso potamus, hoc modo sanguinẽ eius ad calculos in renibus præsertim

comminuendos efficaciſſimum paramus.

Cancros dum Aeſchrion capiebat & vrebat poſt canis ortum, ſole leonem ingreſſo, die verò Lunæ eius decimooctauo, contra rabiem hac ratione efficaciores ſperabat, hócque modo præparabat.

Viperas non mox vbi latebris erepſerant, ſed iam exercitas, iam conſueto ante hyemẽ alimento recreatas, iam ſuo exuuio inter lapidum coagmenta depoſito, velut rediuiuas Galenus vult capi, ſicque præparare incipit.

Pullas & capos iure & carne viperarum cũ pane ſubactis nutriuit Matthæus Gradi, ad vſq; deplumationem curaturus horum eſu elephanticos.

Lib. 3. alim. Gallinaceos pane in lac acidum & ſero ſum merſo ſi antè nutrimus quàm iugulemus, vt teſtes habeãt gratiſſimos & prçſtantiſſimos, & ſi ante coitum ne virus ex ſemine oleant. Sic enim boni ſunt ſucci, validè nutriunt, facilè coquentur.

Ibidem Hepar συνωτὸν, id eſt ficatum, prçſertim ſuum, ficis ſiccis multis nutritorum, eſt præſtantiſſimum. ſic paſtum iecur anſeris albi, ſeu iecur anſeris nutriti alimentis lacte imbutis ſuauius, coctu facilius, melioris ſucci.

Ibidem Capra aut aliud animal ſcammoniũ aut tithy

tithymalos depastum, lac reddit phlegmagogum, & quod aluo pituitam deducat.

Stercus pueri ad anginam idoneis alimentis, & stercus canis ad alia esu ossium in viuis ipsis animalibus præparamus, & alia in his generibus plurima. Sed ad hãc rem hæc sufficiant ad probandum quædam nos cum natura viuis adhuc medicamentis præparare. Cùm verò hæc præparandi ratio, licet sit efficacior, tamen haud ita crebro in vsum venit, vt fortasse quis etiam præparationis nomine nõ esse accipiendam contendere possit: ob id de altera eius specie agamus, quæ omnino latissimè patet in singulis medicamentorum simplicium generibus. Fit autem hęc generatim quidem additione & ablatione, nunc substantiæ, nunc facultatis, nunc vtriusque: particulatim verò tritura, coctione, assatione, vstione, & cæteris pòst scribendis.

Ibidem *Lib. 3. alim.* *Lib. 2. simpl.*

Ad ablationem verò reduci volo separationem partiũ nunc simul manentium, vt in tritura: nunc à se inuicem abeuntiũ, vt in despumatione, destillatione, succorum & liquorum extractione.

In singulis autẽ differẽtiis quæ additio aut ablatio, aut ablatio & additio, vel substantiæ vel qualitatis, & eius vel vnius, vel

multiplicis fiat, abūdè posteà docebimus.

Nunc hæ omnes præparandi differentiæ quam facultatem habeant, & quibus modis perficiantur, singulatim dicamus: primúmque de tritura omnibus propè communi non simplicibus solis, sed etiã aliis præparationibus, posteà de his quæ calore perficiuntur, deinde frigore, post hæc siccatione, hinc humectatione & cæteris pòst elencho comprehensis.

DE MEDICAMENTORVM *simplicium tritura.*

Mes. in cano pib.

MEdicamenta teruntur, hoc est, comminuuntur, percussu vel friatu idoneo, vt simul miscerí exactius possint. vel vt facultas ipsis noua conquiratur, vel vt malefica tollatur. Quos tres terendi scopos in methodo medicamenta componendi fusius explicauimus. Terendi autem modus plurimum est varius. Primùm quòd plurima pistillo ferreo, æreo, plumbeo, vitreo, ligneo, vel alia constante materia in mortario ferè simili materia conflato terũtur: sed pistillus ferreus & æreus mortario ferreo & æreo magis seruiunt: iisdem & lapideo & vitreo mortario etiã ligneus, sed plumbeus plumbeo, vitreus vitreo est aptior.

Sec

Secundo loco multa teruntur diu ducta ſuper lapidem durum & marmoreū, porphyrium vulgò dictum : marinum, quem maris ſquammam vocant. Ducuntur autem ſimili lapide, ſed paruo, & manu concepto, quem molulam vulgò vocamus, quòd molæ paruæ is effigiem habeat, vt lapis ſuppoſitus magnæ.

Tertio teruntur medicamenta quædam molis truſatilibus vel verſatilibus, vt quædam etiam moletrinarum molis, qui modus Lugduni eſt frequens in terendis aromatibus, quibus conſtant puluis minutarum ſpecierum, & puluis ſelectus, quem finem vocant, & alij permulti ſuo cuique more commiſti. De hoc non ſum dicturus, ſed de primo præſertim, & pauca de ſecundo.

Nec omittendum mortarij operculum ſaltem ſimplex, aut etiam duplex, quale veteribus in vſu fuiſſe in noſtra componendi medicamenta methodo commemorauimus, prę ſertim puluerantibus. Nã humida hoc non indigere videntur. Ad trituram quæ præparandi ſpecies reducendæ ſint, ceu ipſi affines, poſterius audies: vt quod quædam rapaci ſerra comminuuntur, alia minutim conciduntur, vt promptius teri poſſint, vel humori cui

incoquuntur vires ſuas tradere.

Non modò autem inſtrumentis variat terendi modus, ſed etiam ipſius percuſſionis vigore & tempore, & rerum terendarum ſitu, & connexione, & futura conſiſtentia. Quædã enim per ſe omnino ſunt terenda, alia cum aliis quibuſdam, ipſorum trituram ſæpè etiam facultatem iuuãtibus: alia tum per ſe, tum cũ quibuſuis teri poſſunt: & hæc omnia tenuiſſimè vel craſſius. Item quædam diu terenda ſunt, alia trituram breuem vti & decoctionem ſuſtinent. Item alia valenter tundẽda, alia tantùm clemẽter frianda, ducto per mortarium molliter & nunc celeriter, nunc ſegniter piſtillo, interdum & valenter.

Præterea attritu cuiq; moderato, non autem vehementiore aut immodico ſunt verberanda. Violento enim ictu, & nimis diuturno exanimantur, viribúſque diſſolutis languent, magis tamen tenuia, rara, facultatem imbecillem, aut ſuperficiariã ſortita, minus contraria.

De his autem omnibus agam ſingulatim, vbi docuero quibus horum modis, & quot ſingula medicamentorum ſimplicium genera terantur, initio à radicibus ſumpto.

Radices, ſi craſſæ ſint, nec adeò ſiccæ, in parti

particulas sectæ,& aliis sicciorib. particulatim adiectæ,multis scilicet paucę,puluerantur cum ipsis:si autē sicciores sunt, aut per se,aut simul puluerari possunt,sed antè vel cultello concisæ,aut forficibus, aut manibus fractæ,nisi si quas antè ad siccādi necessitatem cōcideramus in taleolas. *Cōmunis tritura radicis.*

Diutius autē terendæ sunt quæ crassæ, duræ,solidę,densæ,neruosæ,membranosæ, & fractu contumaces, si in puluerem molliſſimum comminui consiliū est. Interdum enim minus teri volumus,præsertim dum ad coctionem tantùm eas apparamus. Tales ferè sunt radix acori vtriusque, omnis aristolochiæ, althææ, bryoniæ,costi,helenii,gentianæ,polypodij.

Parum diu verò terantur contrariæ, etiam si læuiſſimum puluerem requiris: quales sunt radix calami odorati officinarum, ellebori vtriusque, hermodactylorum,pyrethri,& mediocriter quæ in harum sunt medio radices,vt apij, asparagi, turbith,behen vtriusque,dictamni vulgaris, doronici, fœniculi,galangæ, glycyrrhizę,graminis,ireos,petroselini,pœonię vtriusque,rha Barbari.

Herbæ item teruntur,nunc virides,nūc siccę: & ambæ vel crudę,vel coctę,vel crudæ semel,iterū post coctionem, ídque in *Herbarum.*

vsus

vſus varios. Nam virides ferè teruntur in ſuccũ vel cataplaſma crudum: coctæ verò terũtur, vt vel in apozema exprimantur, vel in cataplaſma cernantur, præſertim ſi quid durum aut lignoſum ſint ſortitæ. At ſiccæ terũtur nunc in coctionem, ſed negligentius: nunc in puluerẽ, diutius quidẽ craſſæ, duræ, denſæ, lignoſæ, lentæ minus contrariæ. Quæ dum ad conſiſtentiã, qua cerni poſſint cribro hoc illo, pro ſcopis medicorũ variis, puenerint, teri deſiũnt.

Herbæ tamẽ propemodum omnes antè vel ſiccantur, vel manibus franguntur quàm terãtur: teruntúrq; ferè mediocriter, & cum foliis interdum, etiam cum floribus. Sed tunc paulò minus diu terendę, vti & adianta omnia, calaminthe, maiorana, origanum, roſmarinus, thymũ, præſertim cum hæc poſtrema ſunt florulẽta.

Florũ. Flores propè omnes ſiccati, parum diu terendi, quia citò puluerantur, & facilè puluerando examinantur ac exhalant.

Vt crocus,
Epithymum Græcorum & Arabum,
Geniſtæ flos,
Leucoiorũ omniũ,
Meliloti,
Roriſmarini,
Nymphææ vtriuſq;
Periclymeni,
Roſarum omnium
Schœnuanthos, ſi ipſum haberi poſſit.

Si

Si verò cum herbis ipsis expetãtur, flores paulò diutius propter herbas & harũ surculos, quibus hęrẽt adhuc, terẽdi sunt, quàm si ab his essent secreti, vt absinthij coma, anethi coma, abrotani coma, chamædrys, chamępitys, eufragia, melilotus.

Adde quòd floris nomine hoc loco venit non modo quod in medio est, magna ex parte croci capillamentis simile, sed etiam folia idipsum ambientia, nunc alba, vt in chamæmelo, nymphæa alba, rosa alba & moschata: nunc lutea, vt in nymphæa lutea, chrysanthemo: nunc rubrá, vt in rosa rubra, in balaustio, nisi quòd croci nomine tantùm capillamenta (quòd ea in vsu sint sola) intelliguntur: vti & Galenus sæpe in compo.ph.p. florem rosarum appellat, non folia illa ampla, sed in medio capillamenta.

Multum autem terenda sunt chamæmelum, quanquam id essentiæ tenuis sit, quia tamen densum est, & odore vegeto ac diuturno: ac etiam stœchas Arabica vulgò dicta, vt etiam cum primis, vt Turbith, cœpta teri, ad postremũ adhuc semitrita appareat: & item heliochrysos, stœchas citri vulgò appellata, & spica nardi, in quãcunq; plantarum partẽ reponatur, etiam si prius minutissimè incidatur.

Bal

Balaustium quoque, diu teri debet ob lignosa sua folia: quod autem intus est fibrosum, si per se terendum sit, promptius multò dissoluitur.

Capparis flos, siue adhuc gemma sit, siue iam apertus, siue iam in fructum seminis plenum excreuit, ferè muria conditus in vsum venit: & eius loco flos geniſtæ aceto & sale conditus.

Si tamen siccatur, mediocriter diu teretur: & flos lupi salictarij folioſus, qualis etiam vlmo est.

Caryophylla craſſæ substantiæ ægrè teruntur, siue flores sint, siue aliud.

Rosæ igni vel sole inter papyros siccatæ, forficibus minutim conciſæ, per se aut cum aliis teruntur: cum aliis autem etiam citra siccationem illam, atq; adeò recentes solùm sectæ, quomodo & quosdam incidere, non terere tamen, vt saccharum roſatum fiat, scribit Meſues. Cùm verò ſpecimen edis, ne sicca: sed cum aliis tere, vt vites calumniam.

Fructuum & semin.

Semina propè vniuersa medio inter radices & herbas modo puluerari desiderãt. Ob id cùm omnia hæc simul terenda veniunt radicibus iam ceptis cõminui, semina iniciantur, quibus etiam abundè iam comminutis, herbæ minutim conciſæ adiici

adiiciuntur,& omnia simul conteruntur.

Talia sunt
Agnus, Apium,
Amomum,
Anisum,
Anethum,
Ammi,
Basilicum,
Carum,
Cardamomum,
Coriandrum,
Cuminum, quãdo autẽ vreticũ volumus multum teritur
Coccus baphica,
Eruca,
Eruum
Erysimum,
Fœnum Græcum
Linum,
Lithospermum.
Lupinus,
Lens,
Melanthium,
Psyllium,
Papauer,
Seseli,
Staphis agria,
Sinapi,
Thlaspi,
Vrtica,

Et ex fructibus pillulæ cupressi, colocynthidis medulla siccata, & minutim secta, Carpobalsamum, cubebæ, galla, nux moschata, piper: & præter has dactyli, iuniperi baccæ, ficus, zizipha, myxa, pruna passa, vuæ passæ: quanquã fructus hi molles sint, purgati tamen nucleo & inciſi cũ aliis quo dixi ordine teruntur, si in compositionem veniant: & in puluerem abeunt, si pauci siccioribus multis miscentur, aut triti cernuntur per cribrum magnum, aut cochleari ad mollem medicamenti formam, vt dactyli in diaphœnico.

Myrob

Myrobalanos verò omnes multum tenuiter conteri iubet Mesues, quando earum substantiam in corpus rapi volumus, & viscera ipsa astringere, & contrahendo velut obstruere consilium est. Eadem ratione rhabarbarum.

Siccata diu in sole semina cucumeris, cucurbitæ, melonũ, & similia, quæ postea cultello concidi docebimus, per se in farinam puluerantur.

Ex seminibus autem coriandrum, cardamomum tam maius, id est, granum paradisi, quàm minus, lithospermum, & cuminum, vt sit vreticũ, & ex fructibus myrobalani Arabum omnes, vt nuper dixi, ac folliculi sennæ tam diu quàm radices ipsæ teri postulãt: ob id cũ ipsis iniiciẽda.

Quæ verò seminũ vel fructuum medullæ sunt oleosæ, vel cultello super papyrum identidem mutandã incidãtur, vel cum saccharo purissimo & siccissimo pauco seorsum terantur. Tales sunt medullæ seminis cucumeris, cucurbitæ, citreoli, melonis, bõbacis, cnici, staphydos agriæ, & fructuũ medullæ, amygdalarũ, anacardorum, balani myrepsicæ, pineorum nucleorum, pistaciorum, castaneæ, auellanę.

Nux autẽ moschata ferè postrema iniicitur, vt in puluerem minutarũ specierũ.

Nam

Nam si prima iniiciatur, reliqua puluerari prohibet, suo lentore oleagino.

Semina prædicta incidi solita, si humidis miscenda sunt, per se teri possunt: si siccis, cum horũ multa copia semina hæc pauca teri possunt, vt succus glycyrrhizę, bdellium, succi. liquores prius particulatim conciſi, possunt etiam (vt dixi) diu insolati per se puluerari.

In diapruno quoq; semina frigida maiora & similia si addantur, cum saccharo multo hæc pauca teri possunt: sic in diaphœnico amygdalę possunt incidi, vel cũ saccharo teri. Sic papaueris semen quidã per se parum prius in mortario quassant, vt verberatum excipiat cultelli. Deinde cultello, vt prædicta, incidunt.

Hæ verò medullę si compositis cardiacis sint miscendæ, vtẽdi tempore incidantur & misceantur potius quàm cum aliis terantur. Nam vix bene mensem vnum seruantur integræ, sed ranceſcũt, & compositum vitiant, nisi parcum sit compositum, & mox absumendum.

Succorum & aliarũ plantæ partiũ tritura.

Succi siccati, liquores, gummi, resinæ si recentes sunt, ob id humidi & molles, electariis mollibus, catapotiis, vnguẽtis, ceratis, emplastris per se misceri possunt, vel cũ aliis mollita & subacta, vel aliquo

his remediis idoneo humore soluta.

Vbi verò iã paulò mediocribus siccio res euaserũt, vt iam comminui possint, in mortario, interdum quidam horũ friantur magis attritu blãdo pistilli, præsertim calfacti clementérque ducti per fundum & latera mortarij, quàm verberando tundantur. Nam sub violento ictu latescunt mortarióq; contumaciter hçrent lentore omnibus communi, his tamen maiore quàm illis, ac exhalant, exanimanturq;. Quod si immodicè siccata sint, quanquã tunc facilius puluerantur, tamẽ velut exanimata, & viribus priuata reiiciuntur.

De moderatè siccis igitur aut paulò siccioribus nobis sermo est futurus.

Scammonium igitur (est enim id aliquando succus, vti etiam Mesues docuit, sed multò inferius scammonio liquore) & si qui similes succi ad consistentiã tam corpulentam siccando ducuntur, per se friando in mortario teri possunt; sed ferè longius requirunt tempus, & si parua sit copia, bonam sui partem mortario affixã relinquũt: quod damnum in magna mole negligimus, tamen multò satius est in eo mortario prius amygdalas triuisse, præsertim vetustate oleaginas, quæ suo lentore liquido succos adhærere prohibeant.

beant. Id quod pistillus oleo intinctus, vel oleum paucum mortario infusum & aliquandiu pistillo ductum per mortarij fundum, & latera præstabit diutius & felicius. Sit autem oleum vel dulce, vel amygdalarum dulcium, nisi succus astringens omphacinum magis postularit. Id verò oleum succos adhærere non modò prohibet, sed virtutẽ ipsorum exhalare, & pollinem tenuissimũ euolare non permittit. Adde quod trituram & breuiorem & commodiorem & faciliorem reddit. Qualem vim Galenus opobalsamo tribuit in terenda Theriace. Acacia tamen nostrâs etiã siccior frangi contumax est, vt minutim sit potius concidenda, & particulatim miscenda puluerandis aliis.

Aloë verò cum friando teratur, percutiendo autem hæreat mortario, verum est Mesuæ de ipsa dictum, quòd friabilis sit simul & tenax ac glutinosa, quod etiam digitis explorabis. His enim friabilis est, ac his hæret ante & post friationem.

Succus glycyrrhizæ, & hypocisthis, & lycium nostrâs pistillo calfacto siccatur & friatur, nisi admodum sint recentia & præhumida, vel minutim secta, tunc additur & cum aliis puluerisatur, cũ ea sunt

iam cerni apta, alioqui ſemitrita in compoſito apparent.

Ex liquoribus quoq; qui ſunt ſicciores ac minus glutinoſi, per ſe friari poſſunt, vt opus Cyrenaicus, euphorbiũ, thapſia, &(vt dixi) ſcammonium cum oleo amygdalarum dulcium friatur, non teritur.

Opium verò cum aliis ſiccioribus particulatim iniectum cõmuinuitur, vt cum humidiorib. diſſoluitur, quomodo opopanax, galbanum, hammoniacum, ſagapenũ. ſi pauca quantitate multis aliis ſiccioribus particulatim coniiciantur, cum his puluerantur, vt in hiera diacolocynthidos ſicca, alioqui humore aliquo idoneo, vt aceto, vino diſſoluenda, & calfacta colantur, pòſt percoquuntur ad competentem rei propoſitæ conſiſtentiam.

Purgata eadem à lignis & cæteris excrementis piſtillo calido quibuſdam moliuntur ad fingenda catapotia, & emplaſtra: ſed hoc modo ferè impuram reddũt compoſitionem. Vel diſſoluuntur humore idoneo, & colantur per ſtamen. Sed tunc quantum excrementi colando ſit abiiciendum coniecta, & ob id largiora quàm ſcriptura poſtulabit diſſolue.

Lachrymæ denique tam reſinoſæ, vt maſtiche, terebinthina, pinea, laricea, abietina,

etina, ſtrobilina, colophonia: quàm gũmoſæ, vt gummi Arabicum, tragacantha, cancamum, myrrha, bdellium, ſtyrax, ſarcocolla, thus, ſuccinũ, gummi amygdalorum amborum, ceraſi, pruni, hederæ, iuniperi, multũ ſiccatæ, friando per ſe, aut cũ aliis excepta maſtiche & pinea, puluerantur: vt caphura quoq;, ſiue ea ſit gũmi, ſiue ſuccus, ſiue factitium aliquid. Eędem verò lachrymæ recentes aliis liquidioribus excepta maſtiche, miſtæ diſſoluũtur, vel medicamenta alia paulò ſicciora diſſoluũt. Quod ſi lachrymarũ aliquæ ſuo lentore mortario hæreant, oleo pauco ipſum prius illinendũ eſt, vt ſi myrrhã veram nec vetuſtate ita exuccã teris: nobis enim conſuetior myrrha, maximè eſt per ſe puluerabilis. Adde quòd maſtichæ ſicciori ne exhalet aut euolet, aquæ roſaceę paululum affundi poteſt, & aliis horũ ob ſiccitatem maximè friabilibus. In emplaſtra tamẽ ſatius eſt maſtichen & myrrhã puluerare.

Ad hæc gummi Arabicum & tragacantha, ſi prius piſtillum & mortarium calefeceris, multò promptius friando puluerantur. Citius adhuc ſi paucum aquæ vitæ immittas.

Thus teritur ſolum, non reſoluitur

quibusdam: sed aqua & aceto resolui in emplastri consistentiam & oleo, sed tunc coalescere grumis non potuit.

Mastiche teritur cum pauco oleo in catapotiis Hermetis ex trochiscis colocynthydis.

Myrrha vera primo die crassius teritur, postridie tenuissimè pulueratur: sic bdellium, thus, vtrunque siccius, sarcocolla, styrax, euphorbium, ladanum tempore aut pistillo & mortario calido siccatum pulueratur, recens verò soluitur oleo calente, vel alio liquore idoneo.

TRITVRA LIGNORVM & Corticum.

LIgna vt agallochum, aspalathum, guaiacum, santala, xylobalsamum: & lignorum cortices, vt cinamomum, casia, cortex radicis oxyacāthæ, tamaricis, capparis, quantum radices teri postulant: stipitum eadem ratio est & malicorij, quod est mali granati cortex lignosus: sed macis, moschatæ nucis cortex mediocriter diu terendus est.

Corticis autem radicum apij, petroselini, fœniculi, raphani, similium herbarū tritura in herbis ipsis est declarata. Turbith mediocriter terendum Mesuæ est.

Ne

Ne mireris autem cinamomum omnium æquè calidorum tenuissima substantia præditum, diu terendum. Id enim fit, quia interno cortice multum fibroso & neruoso est fractu contumaci.

METALLICORVM ET TERreorum *Tritura.*

METallica omnia quia terrestris sunt substãtiæ ob id crassarum partium, in profundum, vt ad punctum neruum penetrare non possunt. *Lib. 3. c. phg.*

Quapropter illis tenuitatem comparamus, subigentes diu in sole æstiuo cum aceto vetustissimo, acerrimo, tenuissimo (quod fit ex vino non austero) vini qualitatem, nihil vel minimũ gustu referente: quę quanto pluribus diebus teruntur, tanto sunt tenuiora, ob id melius purgant, tenuant, siccant.

Ex vino autem similiter trita, dein siccata sole, vel si aliud est tempus, igni, sunt meliora ducendis cicatricibus.

Lithargyros friatur, non tunditur, ne plumbum eius si chrysitis est parrius, si argyritis largius latescat, quod cernendo per pannum rarissimum remanet: scoria autem eius lotione separatur, & sic emplastra fiunt alba.

Lapis armenus si inuenitur, ad lotionẽ

teratur in mortario lapideo, idq; diu satis: sed lapis cyanus seu stellatus lõgiorẽ sustinet trituram Mesuæ. Terũtur in mortario marmoreo albo prius per se vniones, corallia, ne odorẽ, colorẽ, saporẽ alienũ trahãt. Lapidũ precioſorũ saphyri, hyacinthi, granati, smaragdi fragmenta postea super lapidem porphyrium affusa pauca aqua rosarũ, vel borraginis vel bugloſſi tenuissimè friantur. Sic enim fit vt promptè distribui possint, nec obstruant, adhæc nullam mortarij partem terendo deradunt, quæ puluerem augeat. Qua de causa etiam Gal. simplicia ad theriacam in pila Ægyptia durissima conteri iubet. Per se etiam teretur vnguis odoratus.

Tritura partiũ animalis. Partes animalium, aut animalia tota si assatione, vel vstione, vel aliter multũ siccatæ sint, puluerantur aliorũ modo: si humidæ & molles sunt, paucæ cum multis ſiccioribus teri possunt, aut sine his terũtur, & per cribrum cochleari cernuntur. Quædã etiam liquari possunt, vt adipes, medullæ, œsypus, deinde colari.

Stercus canum, luporum, infantũ siccatum etiam puluerabile est, & canthari-des repositæ & castoriũ siccius, sed ineffi cacius, & cancri fluuiatiles vsti, hirũdines vstæ, lepus vstus, renes scincorum sicci,

iecur

iecur lupi ſiccatũ, pulmo vulpis ſiccatus.

Fel autem ferè alijs ſiccioribus diſſoluendis miſcetur, rarò ſiccatus.

De vnionibus qui ſunt velut concharum quarundam partes dictum prius eſt, & de vngue odorato.

Sãguis hirci ſiccatus facilè pulueratur.

Dentes apri, lucij, elephantis limãdi aut radendi, poſt terẽdi potius quã vrendi, ſi vires eorũ integriores poſtulas: ſi oſſa alia & cornua, vngulæ. Tamen hæc vrenda interdum, vt in vſtione audies.

Ambra interdum minutim conciſa injicitur in humorem calidum, vt in eo liquetur, vt in Antid. diacoccu baphices: interdum teritur, deinde diſſoluitur affuſa aqua roſarum, vt in Anti. alepto moſchata, & in alijs multis,: interdum prius in mortario teruntur duæ vel tres amygdalæ, ſic moſchus, caphura.

Os à corde cerui, ebur, pudendum cerui, tauri, cornu cerui, rhinocerotis, & ſimilia prius raſa, pòſt conciſa minutim cum alijs teruntur, quædam etiam vſta promptè puluerantur.

NVNC AD ID QVOD INITIO *propoſuimus reuertamur.*

Terenda per ſe.

PER ſe terenda ſunt primum metallica omnia & terrea, vt lithargyros,

arsenicon, sandaracha, æs vstum, squamma æris, scoria æris, ærugo, chalcitis, sori, misy, melanteria, chalcanthum, cadmia, pompholyx, spodiũ, si hæc duo non sunt satis læuia, plumbum vstum, cerussa, sulfur, alumen, nitrum, sal quiuis, stimmi, chrysocolla, gypsum, pumex, cyanus lapis, armenus lapis, calx, lapis spongiæ, iudaicus, smyris, ętites, magnes, hęmatites, amethistus, amianthus, gagates, iaspis, saphyrus, hyacinthus, pyropus, eranus, sigillum lemnium, terra Cimolia, Cretica, Armenia, corallium quoduis. Potes tamen simul metallica multa aut terrea terere, nõ autẽ cum partibus plantarum, aut animalium. Hæc autem ferè teruntur super marmoreum lapidem, aut porphyrium, aut marinum, aut alium similiter durum.

Possunt tamen & in mortario teri partes plantarum similiter duræ, anacardi in confectione anacardina Mesuæ.

Aloë, scammonium, saccharum & saccharata penidia: nam alia reddit glutino sa saccharũ, & ea teri prohibet mastiche.
Rha barbarum.
Spodium Arabum. Caphura.
Gummi Arabicum & sarcocolla.
Tragacantha, thus magis, sed tragacãtha incisa etiã cum aliis teritur ne euolet.

Ambra,

Ambra, moschus, Schœnuanthos & festu cago, crocus.

Semina pusilla, vt papaueris, hyoscyami, maioranæ, portulacæ, amomi vulgaris. Hæc enim si cum aliis terantur, pistillum eludũt, pręsertim quę cum paruitate sunt læuia, & propè integra manent. Illorum autẽ pars bona, si cum aliis durioribus & teri contumacibus terãtur, euolant & exhalãt, priusquam sint probè comminuta.

Animalium partes duræ vstæ, vel rasæ vel limatæ, ossa, dentes, cornua, vngulæ ebur, spodiũ vulgi vel est ebur, vel os elephantis, vel alterius grãdis animalis vstũ, ventriculus interior gallinarum, res Gal. dãnata, cerebella passerum siccata, iecur lupi siccatum, pulmo vulpis siccatus, stercus canum, & luporũ & infantis, mumia, pissasphalthum Dioscoridis putata, sanguis hirci siccatus, sanguis draconis dictus, cantharides, sericum vstum, vel incisum, moschus, margaritæ, testæ ouorum, ostreorum vstæ, vel limatæ per se terũtur.

Cum aliis quibusdam sæpe ipsorum triturам, sæpè etiam facultatem, colorem, odorem iuuantibus terũtur simplicia plurima, & cõposita quædam, vt moschus, ambar, mastiche siccior, & alia eiusdẽ generis ob siccitatẽ friabilia: teruntur aqua

rosa

rosacea pauca affusa, ne portio tenuior euolet. Sunt qui & mastichæ oleum nucum affundunt, vt in catapotiis Hermetis apud Mesuen.

Gummi Arabicum & tragacantha citius teruntur aqua dulci, rosata, vini seu vitæ pauca affusa, si affectus non repugnet: aut pistillo & mortario calefactis ad promptiorem siccationem, hincque albiora euadunt.

Tragacantha etiam, vt os à corde cerui, rasura eboris, cornu cerui & similia minutim concisa, etiam cum aliis siccioribus teri potest.

Tragacantha verò & penidia si mortario & pistillo bene siccis cum aliis terentur, minus eorum perit & exilit.

Myrobalani siccæ quales ad nos ferè aduehuntur, affuso pauco oleo, meliores redduntur, non exhalant, promptius teruntur: vuæ item passæ & mel cum ipsis tritum ne ventri hæreant & ipsum corrugent, impediunt.

Scammonium cum oleo amygdalarum dulcium friatur.

Colocynthidis medulla prius modicè pistillo fracta, vel potius minutim forficibus incisa teritur affuso paulatim oleo pauco dulci, vel amygdalarū dulciū, vel

rosato.

rosato. Sunt qui ipsum pistillo vel mortario allinunt, alij amygdalas aliquot prius in mortario terũt, alij papyro inuolutam sole ardenti vel igni è longinquo parum diu siccant, vt crocum, rosas. Postea etiã per se facilius puluerant, vel cum aliis siccis siccatã, forficibúsq; sectam terunt. Alij in trochiscos prius fingunt, quales alandal Arabes vocãt, priusquam puluerent.

Quæ necessitas agarico adest. prius enim serra quadam rapaci negligenter separatur, post cum vino albo pauco quo zingiber purgatum sit maceratum in trochiscos formatur, siccatur in vmbra, pyxide viterea reponitur, & cum opus est friando læuissimè pulueratur.

Caphura teritur in mortario, cui duæ aut tres amygdalæ prius fuerint affrictæ, aut in eo tritę, aut ipsarum oleum pistillo & mortario paucum sit illitum, ne terẽdo euolet ac exhalet.

Turbith quia per se tritum latescit (est enim gummosum si legitimum est) vbi est modicè confractum, alia ei sicciora sunt miscenda cum quibus teratur, vt piper, zingiber, & cætera in diaphœnico & electario Indo vtroque. Per se autem cũ amygdalis, vel oleo amygdalino pauco teritur ne exhalet.

Seri

Sericum crudum, inciſum facilè teritur miſtis tribus aut quatuor amygdalis, ipſum ne ſubter fugiat lentore ſuo continentibus, & piſtillo ſiſtentibus. Sunt qui papyro inuolutum ſole vel igni parũ ſiccant, poſt minutim cõcidunt: & cum aliis leuiſſimè terunt.

Cinamomum cũ paucis amygdalis terunt quidam in Hippocraticum quod vocant vinum, ne odoris gratia expiret.

Florũ. Rha barbarum cum amygdalis facilius quidẽ teritur, nec euolat nec exhalat, ſed minus fit purgatorium: vt crocus iura minus tingit ſi ex oleo teratur, id quod quibuſdam pro ſecreto eſt. Crocũ enim ad iurium, carnium & aliorum ciborum condimentum, vel etiam ad frõtes librorum tingendas nouo quodã modo terũt. Papyro enim interpoſitum, vel ſine hac ſartagini impoſitum igniq; admotum lõgulè, ſed parũ diu, vel ſoli diutius ſiccant, vt villoſa eius natura promptius terẽdo rũpatur. Ne verò exhalet, ac vt promptius teratur, & coloratior euadat, olei dulcis pauxillum vt guttas 4.5. invncias ſingulas affundunt, vel piſtillo illinunt interdum tam largiter vt improbè rubeat, obidq; ab archipharmacis damnatur. Sed vt ſit coloratior, minus tamen tingere putatur

quàm

quàm qui sine oleo tritus sit.

Opulentis verò cum saccharo pauco potius teritur, si verò humorem alium olei loco acceperit, etiam coloratior euadit, sed humore in vaporem soluto flauitiem natiuã repetit, & minus vulgo probatur. Verumtamen croco nostrati hoc mangonio ad coloris gratiam opus est, ceu parum cocto ob soli & cæli naturã frigidiorem. Qui verò crocus à Galeno laudatus est colore flauissimo, odore vegetissimo, etiam diu postquã seruari cœpit, acquisititio hoc colore non indiget. Crocus verò vt spica, macis, colocynthis, sericum, rosa, & alia plurima ante trituram inciditur.

Euphorbium dum teritur per se puluisculo acerrimo in nares euolãte & oculos, has partes valenter mordet, sternutamentóq; implacato hominẽ torquet, ob id ea molestia nouitios fatigat, vt sæpè illis nares sanguine fluant, plurimis caput vehementer doleat. Has autẽ ab euphorbio noxas prohibebis, si oleum paucum aut amygdalas miscueris, quæ lẽtore suo etiam puluisculum illigent ac retineant.

Sunt qui myrrham, bdellium, cancamum, gummi hederæ etiã ex oleo terant, ne tenuior portio euolet ac virtus exhalet,

halet, néve mortario hæreant.

Opopanax, galbanum, ammoniacum, ſagapenum, bdellium, ladanum, acacia vulgaris, opium, hypocyſtis, aſphaltum, ſiccior terebinthina, qualis frequens Venetias conuehitur, & alia non pauca ſuccorum liquorum & lachrymarũ genera, vel minus ſiccata, quàm vt per ſe puluerari queant, vel neruoſa & velut membranoſa & coriacea, & fractu contumacia cum aliis ſiccioribus teruntur, ſed prius inciſa, vel aliter in portiones paruas redacta, quantitate tamen parua multitudini aliorum ſicciorum immiſta paulatim cum illis puluerantur, vt in hiera diacolo cynthidos, & aliis compoſitionibus multis. ſic Crocus, flores etiam recentes buglossi vtriuſque, roſarum & cæterorum. Sic Trochiſci Galliæ moſchatæ & alij, ſic Dactyli intus & foris purgati, ficus, vuæ paſſæ, myxa, zizypha paſſa, baccæ lauri, myrti, iuniperi, oxyacanthæ, viſci querciui, anacardi, amygdalæ, auellanæ, ſtrobili, piſtacia, nucum reliqua genera & glãdium, ſemen cucurbitæ, cucumeris, melonum, citreoli, citri, cydoniorum, Sinapis, Cannabis, Cnici, Xyli, Ceraſi, Pſyllij, Lini, & ſimilia. Sic ſericum, Lana, Pili minutim conciſa cum aliis ſiccioribus terũ

tur

tur potius quàm vsta eadem per se:Nam vrendo vires amittunt priores,& nouas ab igne,& iis quibuscum vruntur acquirunt.ob id non vrenda, nisi medicus doctus iusserit, vti nec ebur, cornu Cerui, capræ rhinocerotis, pudendum Tauri, Cerui, siccatum. Hæc enim vel in longũ rasa & incisa, vel etiam limata, vulgari lima, aut rapaci serra cum aliis sicciorib̃us puluerantur.

Adde quòd quædam aut per se,aut cũ humore aliquo teruntur, & cum eodem bibuntur vel aliter vsurpantur, vt vinca, coma amaranthi cum vino, seseli, satyrion,pœonia,gnaphalium ex vino austero teruntur & bibuntur.

Aristolochia rotunda lupini ex aqua cum posca bibuntur, aut cum melle linguntur,&alia permulta eius generis exẽpla apud Dioscor.& Galen. in medicamentis simplicibus & compositis inuenies.

Sic bdellium saliua matutina & hominis ieiuni subactum digitis in emplastri consistentiã vsurpatur, & alia alio modo in vsum veniunt cum humore aliquo trita, vt in compositis latius leges.

Ad aurium vlcera vino, vel dulci, vel austero, vel veteri, vel medio ætate, vel aceto,& eo acido,vinoso,acri,pro scopis *Lib. 3. c.ph. p.*

variis ipsorum, remedia non simplicia solum, sed & composita teruntur: sic ad oculorum affectus collyria sicca ex humore idoneo teruntur, & applicãtur, & in aliarum partium affectibus similiter.

Clementer frianda in mortario quorũ virtus attritu violento promptè exhalat, aut substantia sub ictu valido latescit & mortario hæret, aut quæ multũ sunt friabilia vt caphura, ambra, moschus, mastiche, myrrha, bdellium, thus, gummi iuniperi (vernicem vocant) cancamum, sarcocolla, opus cyrenaicus, euphorbiũ, aloë, scammonium, styrax calamites, bolus Armenia, terra lẽnia, & terra propè reliqua, & metallica, amylum, cerussa (quin hæc duo sæpe tantum cribro affricamus) saccharum, sanguis draconis, castorium, radix ari, dracontij, hermodactylorum, elleborivtriusque, turbith, rhabarbarum, spodium, Arabum, trochisci agarici, dum scilicet quæ aliquando humida fuerunt, iam siccata sunt.

Quorum si qua adhuc sint paulò humidiora, pistillo & mortario calefactis mox siccantur, & simul puluerantur, friando continẽter. Quod auxilium succis, liquoribus, gummis, resinis etiam mediocriter fluidis confert: sed eò frequentius & diutius

tius calefacienda & terenda quo illa fuerint humidiora, vt spes sit etiam oleum ipsum & terebinthinam venetam hoc ingenio pulueratum iri, atque adeò argentum viuum cum saluiæ succo.

Sed lapides pretiosi & metallica fœlicius puluerantur super lapidem marmoreum, porphyrium, aut marinum per molulam ducta, liquore idoneo pauco, ne puluisculum euolet, identidem affuso qui postea euaporet.

Argentum viuum sublimatum & præcipitatum, cinnabrium vulgare, alumen sciſsile, quia cæteris tenuius sit pulueranter, vel etiam in mortario metallicorum aliorum modo.

Valenter tundenda reliqua vt quæ ob duritiam, crassitiem, lentorem, densitatẽ ægrè separantur, vt radicum corticum, lignorum, herbarum seminum plurima.

Qualia sunt radices althææ, apij, asparagi, aristolochiæ, asari, asphodeli, bryoniæ, behen, centaurij magni, cyperi, cyclaminis, costi, calami aromatici, cucumeris agrestis, dauci, doronici, dictamni vulgaris, helenij, eryngij, fœniculi, filicis, galangæ, gentianæ, glycyrrhizæ, graminis, iridis, mandragoræ, nardi, petroselini, pyrethri, pæoniæ vtriusque, polypodij,

zingiberis, cortex radicis capparis & tamaricis, & alij, & ligna omnia. herbæ itē omnes præsertim siccæ, flores chamęmeli, schœnuanthos, & eius festucago nobis consueta pro flore, spica nardi, balaustiū, caryophyllum, & flores reliqui tam recē. tes quàm sicci, semina anisi, anethi, cari, cumini, coriandri, fœniculi, fœnigræci, lini, lupini, & reliqua, folliculi sennæ & fructus reliqui, succi, liquores gummi, resinæ in particulas sectæ, & aliis inter terendum particulatim adiecti.

Limaturæ & rasuræ, & rapturæ ossium, cornuum, pudendorum.

Quædam parum diu sunt terenda, quia rara, tenuia, friabilia, virtutem superficiariam aut imbecillam sortita, quæ paucā sustinere trituram vulgus ait, viribus scilicet integris, de quorum quibusdam sic Galenus scribit lib. 4. c. ph. g.

Quæ ex succis & liquoribus, & lachrymis resiccatis proueniūt, vt myrrha, aloë, acacia (scilicet vera) & quæ his sunt finitima, ἐυλεώτα sunt, & facilè læuia fiunt, ac promptè in puluerē molliſſimum abeūt, ob id non diu terenda, ne ipsorum & virtus exhalet, & substantia tenuior euolet, vt caphura, ambra, moschus, & alia propè vniuersa, quę clemēter terēda scr ipsimus.

Quin

Quin & euphorbium parum diu terẽdum Meſuæ eſt, & ſpodium Arabum ex cannarum vſtis radicibus: nam ex ebore vſto ſpodium, quod vocant, mediocriter terendum. Quod autem Græcis eſt ſpodiũ, id eſt cinerula, & huic affinis (ſed præſtantior) pompholyx non teritur, tantum linteo cernitur per lotionem, aut etiam ſine lotione.

Adhæc quæ acria & facilè inflammabilia ſunt, vt reſinæ, liquores, gummi, quædam parum diu terenda. Nam tenuem horum ſubſtantiam calor motu accenſus diſſipat, & reliquum inflammat.

Sunt præterea quædam tam friabilia, vt etiam digitis attrita læuigentur: vt agaricus bonus, ari & dracunculi radix ſiccata, aſphodeli radix vſta, quanquam illas multam coctionem ſuſtinere dicat Meſues: Nam recentes intelligit non ſiccas. Sic amylum, ceruſſa, calx ex teneriori lapide. Nam ex duriori vix hora poſt vna, etiam affuſa aqua ſolui incipit, ea quæ ad lithocollam multò prẽſtantior iudicatur, quanquam minus multò alba eſt.

Quædam multum diúque terẽda ſunt, vt compoſitioni ſint apta, vt quæ craſſa denſa, dura, lenta, virtutem profundã aut validam, & ægrè ſolubilem ſortita, quæ

multam sustinere trituram dicimus, viribus seruatis, vt metallica, lapidosa, lignosa, neruosa, membranosa: quæ tamen ob scopos medici varios nunc crassius, nunc in pollinem molliſſimum terenda sunt, vt cum oculis applicanda, vel vreticis miscẽda. Sic enim asarum, cuminum, & alia permulta læuissimè terenda sunt, cum per hæc obstructa expedire, distributionem alimenti in corpus iuuare, vrinas mouere consilium est.

Myrobalanos quoque omnes quando per earum substantiá viscera contrahi & roborari volumus, molliſſimè teri iubet Mesues. Eadem ratione rha barbarum, quanquã tunc etiam magis vreticum est, vt purgatorium magis, si crassius teratur. Quod autem purum est ac probatissimũ intellige: nam rarius & laxius à vehementi & diuturna contritione resolutum exanimatur, virtutémque perdit Mesuæ. Sic radices aliæ etiam aromaticæ vt exactè puluerentur, diu terendæ sunt, acorus, aristolochia, bryonia, centaurium maius, cyclaminus, cucumis agrestis Mesuæ, costus, cyperus, enula, galanga, iris, pæonia, pyrethrum, polypodium, zingiber. Pauca autem tritura fiunt læuia, agaricus trochiscatus, & radices aliæ clementer friandæ.

Metal

Metallica quoq; (inquit Galenus lib. 4. c. ph. g.) galla, cytinus, malicorium, Ægyptiæ ſpinę fructus, & id genus omnia ſunt ἀνοληθῆ, id eſt ægrè lęuia, & tenuia pulueranda euadãt. Metallica autem illa intelliguntur, lithargyros, arſenicum, ſandaracha, æs vſtum, ærugo, chalcitis, chalcanthum, cadmia, tam fornacaria quàm lapidoſa, plumbum vſtum, molybdena, ſulfur, alumen, ſtimmi, chryſocolla natiua (factitia enim facilius pulueratur) gypſum, cyanus lapis, & armenius: ſed ille magis, & lapides reliqui, & bona pars aliorum quę per ſe terenda diximus.

Colocynthis accuratiſſimè debet teri ob cauſam à Meſue dictã, in ſimplicium purgatoriorum facultatibus, etiam ſi ea ob valentem vim purgatricem prius vacuari, quàm amaritudo eius agat, & tergeat, dicatur Galen.

Scammonium quoque exactè terendum, niſi cum in catapotia venit. Tunc enim craſſius tritum diutius in ventriculo manet, potentiúſque agit.

Sic oſſa, cornua, etiam vſta, pili, lana, ſericum.

Plenam quoq; triturã ſuſtinet centaurium paruum, etiam cum floribus Meſuæ herbę, etiam aliæ quæ ſiccæ ſeruantur.

Mediocriter puluerando terenda sunt propè cętera, vt radices apij, asparagi, asari, nisi mouendũ sit lotium, cichorium, calamus aromaticus officinarũ non teredinosus, doronicũ, dictamnus vulgaris, fœniculum, glycyrrhiza, gentiana, gramen, hermodactylus, iris Illyrica & Florentina, meũ, radix mandragoræ, nardi, œnãthes, petroselini, plantaginis, phu, rubiæ, ruscì, raphani, rhapontici, zingiber, zurũbet: sic herbæ acres & aromaticę, vt hyssopus, thymus, nisi mouere menses, aut vrinas volumus, & ob id diutius terimus.

In summa, quæ diu coqui possunt, debent etiam & teri: quæ parum diu coquenda, parum diu terenda: quæ mediocriter illud, hoc mediocriter ferunt, ob id trituram nonnihil clariorem tibi reddet coctionis cognitio.

Nec te moueat quòd quædam audis parum & mediocriter, vel multum & mediocriter terenda. Nam cùm huius medij magna sit latitudo, in ea quædam sunt extremis tam propinqua, vt vix secerni queant. Sic agaricum mediocrem sustinere trituram Mesues scribit, aliis placet paucam, non tamen pauciſſimam. Qua ratione etiam de primarum qualitatum ordinibus dissidia scriptorum illustrium con

concilianda scripsimus in methodo medicamenta componendi.

Quædam tenuissimè sunt terenda, vt promptius id actu fiant quod esse potestate dicuntur, vt quæ celerius in partes omnes afficiendi corporis permeent, siue fermentationẽ (vt dicunt) quærimus, siue firmationem, & robur, siue materiarum incisionem, tenuationem, tersionem, vacuationẽ per vrinas, menses, sudores, insensilem transpirationẽ. Sic cordi, hepati, & partibus cæteris internis, præsertim lõgè ab ore dissitis roborandis idonea, ab his vacuatura, obstructiones liberatura, vrinas aut menses motura teuissimè pulueramus, vt essentiæ quadã tenuitate inde acquisita, & corporis sui mole exigua, prõptius per oscula vasorũ angusta, & per corporis habitus poros sensum latentes permeent, agántq; citius quod agere nata sunt: Ob id species omnes in hiera Galeni picra molliſſimè terantur, & cribro serico cernantur, vt aloës, & aliorum vis in angustos ventriculi & partium vicinarum meatus penetret. Sic in theriaca, Mithridatio, aurea Alexandri antidoto, & similibus polychrestis cõpositionibus leuissimè terenda, vt promptius in se agendo & patiendo, velut fermẽtentur citius,

& sint vsui. Dum enim recentia sunt hæc opiata medicamenta, stupefaciendi vim præpollentem retinent. Non tamen omnino tenuissimè sunt pulueranda: nam sic eorum vis aromatica exhalaret.

Omnia stupefacientia dictis Antidotis, vel aliis miscenda, aut etiam per se vtenda sunt tenuissimè pulueranda, vt in paruos meatus, & longè posita, profundásque partes stupefaciendas penetrare, aut pertrahi possint.

Affectibus hepatis puluerata tenuiter debẽtur, tenuius lienis, tenuissimè renũ & vesicæ affectibus, vt per ora vasorũ angusta subeant. Sic thymus, asarum, cuminũ, & similia tenuissimè teruntur in aurea, in hęmagogo, in diacurcuma maiore, in dialacha maiore, & aliis similibus: in aluum verò subducẽtibus diospolitico, cõfectione Hamech, electario Indo maiore crassius cadẽ sunt terẽda. Omnino etiam tenuissimè puluerentur debita affectibus oculorũ, ne si crassiusculus sit puluis, aspera inæqualitate, & attactu oculi tunicas eximiè sentientes dolore afficiat: præsertim si metallica sunt, aut lapides, aut similiter dura & sicca corpora. Saccharum enim candidũ, bolus Armenia, etiã si minus exactè trita oculo imponũtur, humore ex

re ex ipso delachrymáte mox soluuntur.

Terenda quoq; in puluerem mollissimũ, quibus crassius tritis vis noxia & malefica inest, vt ea terendo vanescat, vt in colocynthide. Crassius enim trita cùm sit spongiosa, humore superfluo imbuta tumescit, negotiúmq; tunc magnũ facessit põdere, mole, morsu partibus quibus incubuit. Quę incommoda puluiſculis eius accidere nequeunt, quia humoris non sunt capacia. Crassius tamen terẽda cùm in trochiscos alandal est formãda, sed ter quatérq; puluerandi trochisci & reformãdi, vt ea tenuissimè tandem puluueretur. Eadem ratio est de agarico, substantia illi simili. Sed cùm sit non paulò clementior, trituram minus accuratam postulat.

Rha barbarum quoque curioſè terendum, quando viscera astringendo roborare, aut etiam vrinas mouere oportet, vti & myrobalani.

Quædam crassius terenda, quæ in ventre diutius morari volumus, nec promptè vasorum ora subire: sic purgantia medicamenta crassius teruntur, vt in ventrem partẽ minus principẽ, & vacuationi expositissimam ex corpore reliquo trahãt. Nõ autem ad partes principes tota ferantur, cásque offendant, cùm ad has facultate,

aut

aut saltem vapore ferri, vel quod plurimum sit, portione pauciſſima ſufficiat.

Craſſius etiam teruntur, quorum virtutem multa tritura diſſipari metuimus: ſic ſcammonium vim purgatricem multa tritura perdit.

Eadem ratione ſtomachica craſſius terenda, vt mora in ventriculo longa coctionem fœlicius iuuent, neque cibo facilè vis eorum obtũdatur. Quæ præterea ſunt aromata virtutem colato datura, & odoris ac ſaporis gratiam, non auctura ſubſtantiam: ſic cinamomum negligentius terimus, quo quæ colantur aromatizamus: & cardamomum, zingiber, caryophyllum, macis, lignum aloës, ſpicã, crocum negligentius teris: per hæc & panum rarum colaturus œnomeli.

Quę item flatus diſſipatura ſunt, eadem ratione craſſius puluerãda ſunt, vt in dioſpolitico ſeu diacymino ſimplicia vt purgẽt, & diutius in flatus agãt, licet tardius & imbecillius quàm ſi tenuata magis eſſẽt. Id quod ſi fieret, parum diu flatus diſſiparent, tum quòd vires citius eis frangerẽtur, tum quòd per vrinas mox ſecederẽt, eáſq; mouerẽt, cùm calida ſint & tenuia.

Dioſc. Gal. li. 4. c. ph. 8.

Quædam pręterea tantùm craſſius ſunt frangenda ad vſtionem futuram, vt lithargyros

gyros vrendus frãgitur in partes magnitudinis iuglandis: lapis phrygius vrendus in partes nuci auellanæ æquales.

Quædam etiam teruntur vt purius lauentur, de quibus in lotionibus abundè.

Ex his patet eadem medicamenta, nũc tenuius, nunc craſſius terenda pro variis medicorum ſcopis, vt rha barbarum, aſarum, nitrum, thymum, calaminthen, irin, hyſſopum, pulegium, origanum, cuminum, curioſiſſimè teri volumus cum Galeno & Meſue, quando his vrinas mouere nobis ſtudium eſt: negligenter verò, cùm aluum mouere conſtituimus.

Sic; ſcammonium, colocinthis, & alia valenter purgãtia, nunc craſſius cùm illud in pillulas, hæc in trochiſcos tranſit: nunc tenuius ob dictas prius rariones. Rha barbarum tamen ferè tenuius teritur, vt colocynthis tenuiſſimè, cùm mox & citra aliam per trochiſcos trituram ſumenda. Scammoniũ quoq; craſſius teritur, ſi coquendum eſt cum aliis, aut diu ante vſum ſeruari debet medicamentum. Iq; ne vis eius coctione per ignem aut longuã fermentationem exhalet.

Et quæ partes remotiſſimas petere volumus, leuiſſimè: ſi eadem ventriculo, inteſtinis, & primis venis, hærere diutius,

craſ

crassiusculè terenda sint.

Ex his omnibus simplicium simul terendorum ordo quidam instituitur, vt prima iniiciantur mortario, & terantur crassa, dura, lenta, vt radices, baccæ quædam. Semina propè omnia, vt quæ etiam glutinosa medulla constant. Paulò posterius aromatica etiam æquè teri contumacia, vt iuncus odoratus, calamus odoratus, zedoaria, zingiber, galanga, iris Illyrica & Florentina, seu nostrâs alba, costus, & cardamomum, carpobalsamum, cubebe, piper, nux moschata. Post hæc autem simul cum his xyloaloë, xylobalsamum, casia, cinamomum, caryophylla.

Deinde succi, liquores, lachrymæ puluerabiles cum aliis de quibus antè, & quæ cũ quibus aut per se terẽda sint, diximus.

Semina verò oleosa, vt cucumeris, cucurbitæ, melonis, citreoli, cnici, cidonij, pistacia, strobili, amygdalę, & similia sunt excorticanda, deinde incidenda scalpro, vt mox audies, ne puluerẽ reliquũ glutinẽt, & per cribrum transmitti prohibeãt.

Mineralia etiam ferè per se & seorsum teruntur, affusa interdum ob eorum siccitatem aqua pauca, ne substãtia eorum tenuior euolet, aut vis exhalet, vt antè docuimus. Chalcitis autem, chalcãthum, ærugo,

rugo, sulfur, sandaracha, & alia quædam adhuc nõnihil humida, humectari nolũt.

De succis, liquoribus, lachrymis, & animalium partibus abundè prius est dictũ.

Mortarium papyro vel corio etiam interdum duplici est tegendum (vt in Theriaces compositione diximus) interdum ne puluis tenuior, præsertim precioſus foras euolet ac pereat: interdum ne is qualitate malefica præditus nares batuentis mordendo malè habeat, vt in Euphorbio & Turbith, & aliis non paucis euenit.

Ad trituram præparant, vel trituræ loco sunt, attritio in cote medica, mansio, sectio, fractio, rasio, limatio, raptura.

Atteruntur in cote medica (qualis est tonsoria) cum albuminis oui liquido, vel lacte, vel succo rosarum, vel seminis fœnigræci, aut cydoniorum, aut maluæ, aut althææ, ipsa collyria sicca, siue iam in pastillos formata, siue adhuc integra: sed tamen atteri apta, vt materia hæc tenuior & mollior contactu suo dolentem oculum non exasperet.

Ad attritionem confricatio amyli, aut ceruſæ ad cribrum facta, vt puluerentur, est referenda.

Manduntur ad oris partium, faucium, asperæ arteriæ, pulmonis, œsophagi, ventri

triculi affectus, vt ad dentium dolorem vinca, liguſtri folia & germina, radix chelidonij, plantaginis, anemones, Galeno manduntur in ſimplicibus.

Secantur radices craſſiores, longiores herbæ, virentes albæ aut ſiccæ, & flores magni, vt nympheæ, roſarũ, croci, & medulla colocynthidis, & acacia noſtrâs, & troch. Galliæ: & capillatia, vt ſericum, pili, lana: & ligna, vt gaiacum, ſantala, berſilium: & ramenta & velut bracteolæ ferramento abraſæ, cornuum, vngularum, oſſium, eboris, pudendorũ, coriorum, ichthyocollæ, taurocollæ, & ſimilium.

Secantur autem quouis ferramẽto incidente & forficibus: ligna autem etiam ligneo piſtillo acies ferreas acutas habente. Horum verò quædam poſt ſectionem in decocta & infecturas veniũt, vt gaiacũ, berſiliũ, & quæ ex aliis voles. Alia, vt fœlicius & citius puluerentur, antè raduntur, pòſt ſecãtur. Sic de fractione, raſione, roſione, raptione, limatione cẽſendũ eſt. Ea ſcilicet nunc ad trituram interuenire, nunc ad coctionẽ tantùm, vel vſum aliũ.

Scalpro autẽ ſutorio huc illuc inclinato identidem ac reclinato, vel cultelli verberatu crebro, vel duobus tribúſue cultellis inter digitos manus, vel alterius tantùm, vel

vel vtriusq; præhensis incidũtur minutissimè semina oleosa & maiuscula, quia sub ictu pistilli latescunt & pinguescunt. Inciduntur autem per se, prius tamen de pellata, aut cum pauco saccharo, ne etiã sic immodicè pinguescant & oleosa fiãt: supponitur autẽ iis folium papyri purũ, sæpe mutandũ quãdo scilicet iam discissum est, & huic folio lignũ lęue & politũ.

Sunt verò secanda hoc modo semina cucurbitæ, cucumeris, melonis, citrioli, bombacis, cerasi, pruni, amygdalarũ, pistaciorum, strobilorum, anacardorũ, balani myrepsicæ, castaneæ, auellanæ, iuglãdis, tribuli aquatici, cnici, staphydis agrię quæ aliter quoque teri posse prius docuimus in seminum tritura vniuersali.

Dactylos quoque intus & foris curiosẽ purgatos similiter incidimus, si condita cardiaca ingrediuntur.

Est tamen quando eos negligenter incisos cum aliis siccioribus terendos iniicimus, præsertim si pauci sunt & multum sicci: aliquando tantum aceto horas aliquot vt 12. maceramus, terimus, per cribrum cochleari, vel manu impellente cernimus, vt in diaphœnico, in quo etiam amygdalas cultello depellatas cũ dactylis aceto maceratis quidã terunt & cernunt.

Frangimus manibus tenera & minuta, vt herbarum pugillos intorquendo digitis abrumpimus, & radices pusillas & fragiles, cortices parum frangi cõtumaces. Ægrè enim fragilia ferramẽtis secamus, aut pistillis tundimus.

Radũtur vt ante dixi, ebur, cornua, & vngulæ, pudenda siccata, coria siccata, ichthyocolla, taurocolla siccior, lignum gaiaci, bersilium, & quædam alia vt facilius vel coquendo vim suam humori cui incoquuntur, impartiantur vel terantur. Raditur & cortex turbith exterior, donec albũ appareat Mes. Sic radix glycyrrhizę ante triturã raditur, & aliæ radices, & ipsarũ vt aliorũ cortices, sed id ad purgationem magis pertinet, de qua postea dicemus. Raduntur quoque rapaci serra, lotus, lignum gaiaci, buxum, sũber, ebur, & dura alia quæ etiam dum serra vulgari secantur, scobem reddunt non dissimilem illi quam rapaces serræ ac veluti rudes & crassæ limæ elidunt.

Ferri præterea albi lamina tenui, curuata, foraminibus multis exasperata cõminuimus affricando agaricum, nucem moschatam, zingiber. Mala item cydonia, vt succi hoc plus reddant, quàm si in mortario terantur.

Limatur

Limatur præterea aurũ, argentum, æs, ferrum, chalybs, plumbum: quædam vt vrantur, postea terantur: alia vt etiam citra vstionem in vsum veniant, vt aurum, argentum, sed horum duorum limaturæ loco satius est auri & argenti foliis vti. Limantur quoque ligna prædura, gaiacum, santala, berſilium, ossa cranij humani, dentes & maxillę lucij, dentes apri exerti, & castoris, cornua cerui, capri, rhinocerotis, & vngulæ quorundam ex his, ac ebur. Pudendum quoque tauri, cerui, ichthyocolla, taurocolla, quæ etiam radi & secari docuimus.

Rasio autẽ limationi finitima est, sed raměta sunt maiora limaturis, quia horũ instrumẽta sunt insignius, sed rarius dentata quàm limæ. Radẽdi quoque modus est alius in lignis edolandis, qui ad triturам quoque, & coctiones vsui esse possit.

DE CRIBRATIONE.

His terendi differentiis ordine optimo succedit cribratio, qua purũ & minutius secernimus, quomodo pistores similaginem, & farinæ florem puriorem ac tenuiorẽ à furfurea & crassiore separãt. Cribrationis ratio eadẽ est quæ triturę, ob id quæ tenuiter pulnerãda, tenuiore cribro sunt cernenda: quæ tenuissimè,

tenuissimo, vt pulueres dicti cordiales cribro sericeo, tafetum vocat vulgus, inter manus agitando cribrátur metallica, ad oculos tenuissimè terenda, & cribro tenuissimo cernenda: sic vrinas mouentia, obstructiones liberantia. Cõtrà verò quę aluum mouere & purgare volumus, crassius terenda, & cribro crassiore ac ratione cribranda sunt. Et quæ per se teruntur si cribranda sint: per se cribrantur, vt metallica quæ aliis mista citius, & ante iustam pulueratione m descendunt.

Cribramus autẽ interdum ad trituram meliorem, frequentius ad misturã aptiorem rerum iam mole minimarum. Quæ enim cribrum non permeauerũt, tritura reddũtur: quæ crassius terenda sunt rario re, vt dixi, cribro cernenda: quæ tenuius, densiore, vnde varia cribrorum multitudo fuit necessaria. Quędam enim cortice tiliaceo, angusto, sed æquali, cancellatim connexo constant, cribrando scobe gaiaci, vel agarico infectorũ, & similiter crassiusculè tritis idonea. Vidi & ex assiculo terebella passim pertuso cribrum argillæ colandæ idoneum, alia his minus lata habent foramina, neque vt hæc quadrata sed rotunda, vel oblonga in pergamena circulo ligneo subsuta, quibus triticum, hordeum

hordeum & alia cerealia, sæpe etiam legumina seminibus alienis, sed minutiori bus purgamus. Hęc enim per lata forami na ob paruitatem facilè descendũt: semi na bona foraminibus maiorà retinẽtur.

Alia seta equina in telæ modum cancellatim contexta constant, circulis duobus ligneis vtrinque tensa, quorum inferiore hæc præhenduntur, atteruntur, & impinguntur: superiore verò materiæ cri brandæ continentur. horum verò cribro rum copia & differentia magna est, & vsus plurimus. Quędã enim solum in medio ligneorum circulorum habent velut telam illam equinam, & his manu tãtum molliter succussis, puluis in subiectum catinum ligneum, vel papyrum descendit, superna eius parte interim papyro tecta ne puluis euolet. Eóque vtimur in pulueribus parum pretiosis.

Alia præterea fundum & operculum habẽt exemptile, sed vtrunque corio vervecino clausum: illo puluis per cribrum transmissus excipitur, & probè ne exhalet aut euolet cohibetur, hoc ne portio cernẽda exhalet, aut euolet prohibet. In his verò multæ sunt in raritate & densitate differentiæ, quarum singularũ suus est vsus, nõ modò ad medicamentorum te-

rendorum genera, sed etiam ad componendorum speciē variam constituendā.

In his item quædā telæ equinę loco sericum habēt (tafetum vulgus vocat) & id vel album pulueribus electariorū alborum, vt diatragacāthi, diairis destinatum vel rubrum debitum, pulueribus electariorum rubrorum, vt diarhodi, diatrium santalorum, diacubebe, diamargariton.

Vsurpatur itaque id cribrorum genus aliis pretiosius, ad pulueres etiam pretiosos, & vt vocant cordiales, neque vt præcedentia setacea ligneæ mensæ, aut alteri solido corpori violentius impinguntur succussando, sed manibus tantum molliſſimè versantur, vt sine violentia puluis tantum tenuissimus descendat.

Est etiam linteum magis minus, rarū, densum, cribri loco in metallicis præsertim, & terreis corporibus: Latius autē id est, rémque cernendā comprehendit, ac inter pyxidis alicuius ligneę vel alterius, sed grandiusculæ operculum & corpus concluditur & constringitur, deinde vna manu ferè violentius succutitur super abacum pharmacarium, vncia vel simili pondere, sed plumbeo in linteum etiam prius immisso, vt id suo motu & pondere res has cerni difficiles acceleret, quem

cernendi

cernendi modum cicotrinizare vulgus vocat, voce ex κοσκινίσειν, id est, cribrare corrupta, & in id contorta.

Vt autem radices, herbæ, semina, fructus & alia plæraque cruda, & cocta teruntur, etiã cribrantur: sed ferè vi manus aut cochlearis quomodo cassiam & thamarindos sine tritura cernimus: sic radices eryngij, satyriorum, raphani, diacontij coctæ, tritæ, cribrantur in diasatyrio.

Sed hæc cribratio immoto fit cribro, quæ verò puluerum est cribratio, ferè fit cribris abaco incussis valenter, sed numerose, vt taratantara audire videaris. Alia cribro manu suspensa agitato, alia vt cardiaca cribro inter manus versato, non in abacum incusso, ne etiam horum partes crassiusculæ vi impactæ per cribrum permeent. Alia pyxide duro corpori manu vna valenter allisa.

Ceruſa & amylum, & ceruſa serpentaria cribro affricantur manibus: sic quæ citra trituram cernuntur.

Quæ autem cribrũ non superauerunt ob crassitiem, teruntur donec ob tenuitatem tota cernãtur: nisi quod dũ pauciſſimum superat, ídq; tenuissimo proximũ, cæteris iam cretis commiscri solet aut seruari, vt aliis eiusdẽ generis, vt posteà

terendis & cernendis iterum miſceatur.

Colatio cribrationi licet genere & natura ſit affinis, quia tamen nõ eſt ſiccorum, ſed magis liquidorum, ob id in alium locũ referenda fuit, tanquã diſſolutioni, coctioni, infuſioni, clarificationi, & aliis pleriſq; præparationũ differẽtiis neceſſaria.

DE DISSOLVTIONE.

DIſſolutio autem ſeu dilutio tritura quædam eſſe videtur, quòd per hãc medicamenta tam ſimplicia quàm compoſita læuia fiant, ſed adiecto humore aliquo, non etiam ſicca permaneant ſi prius erant, vt ſe ad trituram habeat hęc, quomodo colatio ad cribrationem.

Solutio igitur ſeu diſſolutio, ſeu dilutio eſt medicamenti vel ſimplicis, vel cõpoſiti conſiſtentia craſſioris in humore quopiam idoneo facta reſolutio in conſiſtentiam, vel mediocrem, vel paulò hac craſſiorem aut liquidiorem, pro medicamenti ſoluendi, & humoris ſoluturi quãtitate & cõſiſtentia, & aliis medici ſcopis.

Quod enim minus erat craſſum & humore perliquido, eodémque largo eſt ſolutum, erit liquidius, cõtrarium craſſius.

Huius autem diſſolutionis multæ ſunt cauſę. nunc enim diſſoluimus vt medicamẽtum facilius & iucundius deuoretur,

&

& citius distribuatur & subducatur, cum facilius sit & iucundius sumere liquida quàm crassa: vt facilius & gratius est impleri potu quàm cibo. Sic opiatas, cassiã & alia plurima quotidie dissoluimus.

Nunc vt aliis ad compositionẽ promptius misceantur, & vnà cum his aut etiã per se coqui possint, quòd sicciora ipsa promptè vrerentur. sic succos, liquores, lachrymas frequenter dissoluimus, vt euphorbium recens oleo dissoluitur, vetus autem fortasse non dissoluitur Mes.

Nunc vt in partem affectam possit medicamentum penetrare, aut illi applicari & adhærere. Sic in aurem iniicienda, in intestina, in vterum, in vesicam, in sinum aliquem liquidiora reddimus.

Sic ladanum oleo largiore soluimus in capillato aut etiam modicè tonso quàm in raso.

Nunc vt colari & colando purgari ab excrementis possit, vt liquores, aceto vel alio humore idoneo soluti colantur, & purgãtur, Ammoniacum, opopanax, galbanum, sagapenũ: Sic succi siccati, gummi, resinæ recentes aliquãdo & veteratæ ad electariorũ mollium, catapotiorum, linimẽtorum, vnguentorum, ceratorum, emplastrorum mistionem, sed lachrymæ

resinosæ, oleosis: gummosæ, aquosis humoribus melius soluũtur: vel ipsæ recentes alia sicciora dissoluunt, sed vt dixi similia magis, ídque dum molle medicamẽtum est futurum, in quem vsum multa quoque huius generis coquuntur. Eadem portione parua cum multis siccioribus teruntur, vt in puluere hieræ diacolocynthidos.

Lib. 8. c. ph. p. Lycium aqua diluitur Galeno ad hæmorrhagiam.

Lib. 4. c. ph. p. Pix liquida cum melle lingitur.

Tragacantha in oui albumine soluitur in arteriacam.

Fel scari piscis cum myrrha stacte miscetur, stomatica medicamẽta dissoluuntur aqua vel mulsa ad gargarizandum, dissoluuntur humore quouis & sine calore, promptius cu m calore.

Bolus Armenia vera, terra lemnia vera, calx, sal, saccharum, saccharata omnia, manna, cerussa post longam velut bullitionem, chalcitis, chalcanthum, ærugo, rubigo: sed hæc oleo citius mollescit.

Dissoluũtur aceto forti, præsertim destillato vel succo limonum vniones seu margaritæ testę ouorũ, lapides renũ, vesicæ, coraliũ vtrunque, eáque pòst siccata promptè friantur. Prȩcipitatũ & sublima

tum

tũ & cinabriũ, in argentũ viuum redeũt.

Etiã aurum & argentũ & metalla alia ſuis valentibus aquis diſſoluũt chymiſtę.

Soluuntur ergo ſimplicia quidẽ ammoniacum, ſagapenum, galbanum, opopanax, thus maſculum, opium, ſcammonium, aloë, hypociſtis, ſuccus glycyrrhizæ, piſſaſphaltum, mumiam intelligo, aqua ſimplici, aqua vini, vino, aceto, ſimilibus & his frigidis, ſed longiore tempore quàm calidis. Feruentibus enim his humoribus prædicta citò ſoluuntur: priora quinque in lacteum quẽdam ſuccum, poſteriora totidem in nigrum.

Opium ſoluit ſapa Galenus in trochiſcis dia opiu.

In oleo frigido prædicta etiam horis 6. non molleſcunt quidem, in calente opium, ſcammonium, aloë, hypociſthis, ſuccus glycyrrhizæ, etiam ſoluuntur: cætera molleſcunt tãtum, poſtea durantur, pręſertim Ammoniacum. In eodem oleo & prędictis humoribus etiam calentibus ladanum, maſtiche, myrrha, bdelliũ, ſarcocolla, ſtyrax, gummi arabicum. Sarcocolla in aqua roſarum diſſoluitur in pilulis ſarcocollæ.

Caſtorium, mumia, molleſcunt ſtatim: tragacantha tardius, ſed in oleo hæc mol

lita

lita non multò post durescunt pręter mastichen, quę soluitur in oleum: nec ad naturam redit nisi igne valentiore coquatur, vt docet oleum mastichinum.

Acacia nostrâs, sulfur, gagates in his omnibus humoribus etiam feruentibus, nihil mutantur, sed acacia paulatim pistillo ex humore aliquo friata soluitur, vt succi alij & liquores, sulfur & gagates igni liquãtur, vt liquores omnes, opium, ladanum, chalcitis, chalcanthum, alumen omne, xylaloë vera, vnguis odoratus.

Soluũtur humore quouis calido chalcãthum, chalcitis, & hæc etiã aceto frigido.

Ærugo, sori, nitrum, alumen, in aceto frigido non liquescunt, vt nec creta: sed hæc multum diúque feruet, fitque multò fragilior, vt & prædicta.

Saccharum, mãna, quouis humore soluuntur. Saccharũ autem ad syrupos, iulepos, apozemata, electaria solida, penidia, trochiscos, & alia opera plurima variè soluitur vt in antidotis Mesuæ leges. Saccharum aqua & melle soluitur Mesuæ in diazingibere: Manna verò fere soluitur iusculo calente, & colatur ad foliorum laricis in qua frequentior colligitur, & aliorum excrementorum separationem.

Mãna, cassia, thamar indi in succis purgatis

gatis dissoluuntur & colantur in diamãna,& in aliis,melius sic miscentur quàm coctione.Manna dissoluitur in succo rosarum rubrarum in electario mãnæ.Moschus,ambra, caphura, ferè humore aliquo soluta aliis miscentur.

Tartarum vstum, in oleum vi frigidi soluitur,alio solutionis modo.

Sed vide ne dum acetum vel humorẽ alium quo ammoniacum vel alium liquorem soluisti,coquendo consumis, sal laris.Nam sæpe humorem alium ex se remittunt:quem si consumere pergis,ipsorum liquorum humidum consumis: fiuntq; hi siccissimi,& exucci,& emplastro ob id inepti.

Quæ verò composita quibus humoribus soluantur, non est operis præsentis docere,sed ad modum componendi singula medicamenta pertinet.

Composita tamen plurima,vt electuaria purgatoria,cùm aut ingrata sint aut ęgrè deuorantur,aut citius descendere volumus,neque nausea metuitur, ptissanæ aqua,hydromelite,vino,vel alio humore idoneo dissoluimus. Trochiscos in cote medica ex humore idoneo etiam in collyria humida sæpè dissoluimus.eclegmata in ore saliua soluuntur.

Ex

Ex his constat solutionis nomen hic minus latè patere quàm cap.6.libr.4.meteororum, vbi ad mollitionem & liquationem quoque extenditur.

DE MOLLITIONE.

MOLLITIO solutioni & liquationi proxima, fit cum medicamenta tã simplicia quàm composita redduntur molliora, idq; vel affuso humore aliquo sed pauco, vel solo calore nostro, solis, ignis id vulgus malaxare vocat, verbo de torto exfuturo μαλάξω, verbi μαλάσσω, id est mollio & subigo: quæ duo per malaxare etiam intelligunt, nec eo libenter vtuntur alibi quàm tum in catapotiis cũ succo aut syrupo aut humore alio remolliendis & subigendis, tum in emplastris oleo, adipe, vel simili emolliendis.

Calore mollescunt cornua, vngulę, pili, succi, liquores, lachrymæ, vt etiam digitis calentibus tantum tractatæ, ceræ modo ductiles fiant tanquam à frigido concretæ non solũ sicco duratæ. Calore modico mollescit ferrum, & alia metalla immodico liquantur.

Zitho (qui potus erat Alexandrinorũ, nostræ ceruisiæ similis) ebur mollescit.

Vniones, corallia aceto destillato mollescunt, &, vt dixi, soluuntur.

DE

DE DVRATIONE.

DVRATIO mollitioni contraria nobis interdum est in vsu in cõditis, electariis, ceratis, emplastris, gelatinis vt vocamus. Ea autem fit nunc mistis siccioribus, nunc multa coctione, nunc frigore coagulante. De siccatione autem postea fusius agemus adhibenda medicamentis plurimis, non vt durescant, sed vt seruari possint, & ob causas alias inibi dicendas. De calfactione quoque & refrigeratione paulò post dicemus, quarum tractatio durationem abundè illustrabit.

DE LIQVATIONE.

LIQVATIO seu fusio est eorum quæ à frigido cõcreuerunt in liquidiorẽ & fluxilem consistentiã à calore facta resolutio: ita, vt quę à frigore imbecillo aut non diuturno sunt concreta, vt mel, cera, oleum hybernum, butyrũ, adipes, medullæ, resinæ à calore moderato glaciei, niuis & grãdinis modo liquẽtur. Quę verò à vehementi & diuturno frigore concreta obriguerũt, ægrè multo calore fundũtur, vt aurum, ferrum ægerrimè, argentum, æs facilius, stannum his facilius, facillimè plumbum, stimmi, arsenicum, sandaracha, sulphur, alumen omne (quamuis sciſſile tantum molleſcere videatur non

non etiam liquari & fluere) chalcitis, chalcanthum, misy & ærugo tardius, tardissimè fori (quia terreum & saxeum) vt lithargyros. Is tamen cum ærugine vel oxelęo duplo citius liquescit quàm cum hydrelæo duplo.

His promptius liquantur gagates, succinum, vnguis odoratus, id est blatta bizantia, asphaltum, pissasphaltum (mumiã intelligo) xylaloë.

His promptius, ladanum, Oesypus, castorium, sanguis hirci, gummi arabicum, tragacantha, cancamum, caphura, myrrha, bdellium, styrax, mastiche, sarcocolla, gummi hederæ, iuniperi, cerasi, pruni, amygdalarum.

Resinæ his facilius. Aequè autem facilè liquores, opium, euphorbiũ, ammoniacum, sagapenum, galbanum, opopanax, scammoniũ & succus glycyrrhizæ, hipocisthis, aloë, elaterium, lycium nostrâs.

Cera omnium facillimè: Mel, aëromeli seu manna, saccharum, humore etiam frigido vt sal soluuntur.

Acacia nostrâs & sæpe non liquantur, sed humore aliquo cum pistillo, aut cochleari aut manu paulatim soluuntur.

Prædicta quoque omnia) succos, liquores, gummi, resinas intelligo) calenti humore,

more, vt dixi mollescunt: quædam etiam soluuntur: nonnulla item liquantur.

Ambra minutim concisa liquescit Mesuæ in E. diacoccubaphices.

Porrò liquationis necessitas magna est ad mistionem electariorum, catapotiorum, vnguentorũ, ceratorum, emplastrorum, & reliquorum propè compositorũ.

Quoniam in superioribus præparandi differẽtiis virium caloris, frigoris, humectationis, & siccationis meminimus, & in sequentibus eorundem mentio frequens nobis est futura, prius de his est nobis agendum, quàm ad infusionem, coctionẽ, assationem, vstionem & alia multa, caloris & aliarum primarum qualitatum opera transeamus.

DE CALFACTIONE.

DE calfactione autẽ agemus, nõ quatenus soluit, mollit, liquat, coquit, assat, vrit, vel aliud insigne opus præstat, sed quatenus calorem rebus præbet moderatum, mistioni necessarium, vel etiam alicui præparationum differentiæ, vel ipsi denique medicamentorum simplicium, vel compositorum vsui dextro.

Calefit in sole meridiano acopum Gal. populeum lib. 4. sanit. tuendæ, vt fermententur & probiùs misceantur eorũ vires.

In sole teri vult Galen. metallica, vel lauanda, vel in aliud vtenda.

Colanda calfactione tenuãtur, vt prõptius permeent: frigida enim velut cõcreta non percolantur, nisi sint multũ aquosa & liquida, vt oxymeli Galeni, calidiora autem cum sordibus tota colum penetrant, nisi sint glutinosa. Talia enim multum calida colanda. Tepidam damus aquam, vt sit vomitoria.

Calidas modicè damus potiones medicas, non solum purgatorias, sed etiam corpus firmaturas, vreticas, mẽses aut sudores moturas, obstructionem viscerum aperturas, prẽsertim cœlo frigido & ventriculo frigidiore natura, aut ex morbo.

Calefacimus aquam & alia omnia quę aqua fluente, aut niue circumposita volumus frigidiora reddere, quòd in humorem calore rarefactũ frigus se altius insinuat, vt ferrum candens aqua frigida & astringente temperatur, vt fit durius.

Calfacimus modicè infundenda, vt vires suas promptius in humorẽ, cui infundũtur, transmittãt. Calfactus enim humor tenuatur & infusa res rarefit, quibus fit, vt eorũm vis calore promptius trahatur. Alia propè innumerabilia calfactione egent, sed admonẽdi gratia magis quàm docen

docendi calfactionis, refrigerationis & humectationis meminimus: siccationis autem maior est necessitas.

Refrigeramus aqua fluente, aut niue, aut glacie etiam prius calefacta, quæ febriū vehementiæ, aut aëris intēperiei calidę opponimus pocula medicamentosa. Et quæ à frigido cogi volumus, vt ius carniū glutinosarū in gelatinā vulgò dictā.

Refrigeramus omnia calore præparata priusquam reponamus.

Refrigeramus quę calore soluta frigore volumus concrescere, & durescere, vt electaria sicca, cerata, emplastra.

Quæ calfaciunt, & refrigerant etiā per accidens siccant, ob id ordine bono iam de siccantibus agamus.

DE SICCATIONE.

SICCATIO est consumptio humiditatis, aut noxiæ, aut excrementosę, ob id nauseabundæ, vel promptè putrentis, vel puluerari prohibentis, vel caliditatē quæ sitam obruentis. Absumitur interdum, & naturæ humiditatis aliquid, plurimum autem in assatione & vstione.

Scillæ partes maximè mediæ direptis viuo tenus tunicis, frustatim consectæ coquuntur, mutata sæpe aqua, donec ipsa nec amaritudinē, nec acrimoniā habeat,

traiectáque lino frusta illa sic, vt se non contingant, siccantur in vmbra dies 40. His segmentis ad oleum, vinum, acetum scillinum, vtimur. Hæc Dios. vbi neque cultri ex ligno pini vel cupressi scillam diuisuri meminit, neque acus ligneæ, cum Mesue in aceto scillite, nec medium eius abiiciendum iubet, (quod hodie solenni quodam more fieri ab omnibus video) sed tantum tunicas externas ad vsque viuas & integras.

Triticum electum negligenter tritum aqua per noctem maceratum, postridie manibus expressum reddit cremorē: qui dū resederit, inclinato vase quod supernatat sensim effundendum, reliquum bombace vel sole æstiuo mox siccandum, ne acescat: repositum operculetur metu vermiū: hoc amylū, hyeme igni siccetur. Sic ex oriza & hordeo, & aliis fieri potest.

Rosæ mediocriter apertæ sereno cœlo mane lectæ eodem die vt sunt siccentur sole, si potes, sæpe vertendo. Nam vix vmbra siccauerit, quanquam id esset optatius, siccatas auelle, & reconde vase vitreo operculato, vt odor & color perseuerent. Meliores montanæ cāpestribus & minus minuūtur siccando, cum ex harū libris decē siccatis lib. vnica supersit quibusdam,

buſdam, idem de violis. Scilla ſiccatur in eclegmate Meſuæ ad aſthma, ad ſaccharum roſatum & violatum, roſas & violas modicè ſiccat Meſues: hyſſopus in eclegmate ſano, mẽtha in eclegmate aromatum, ruta in altero diacymino Meſuæ, vt in Galeni dioſpolitico, ſed modicè. Nam ſupra modum ſiccata, acrior, amarior, calidior euadit, non ſiccata flatus minus diſcutit, quia humorem quendam excrementoſum nondum percoctum retinet. *Lib. 4. ſanit.*

Herbæ itẽ reliquæ vmbra ſiccantur, niſi vtendi neceſſitas cogat te quaſdam igni vel ſole ſiccare. Nã in manipulis ligatæ in granario penſæ ſiccãtur: vbi ſiccatæ ſunt, ſacculis cannabinis ibidem reponuntur.

Radices herbarum lotæ, à lignoſa matrice ſecretæ, mox inſolẽtur, nocte in aëre ſicco perflatili ſeruentur, iterum ſoli reddantur, donec erunt probè ſiccatæ. Quod ſi cælum eſt nubilum, ſicca fumo, aut potius prope ignem, in calatho ſtramẽtitio, vel ſaligno: aut ſi vtendi celeritas vrget, ſartagini calfactę, & ab igni remotæ ipſas toties impone identidem vertendo, & ſartaginem recalfaciendo exemptis tunc radicibus, donec abundè erunt ſiccatæ. ſic radix enulæ, valerianę, acori noſtratis ſiccatur. Idem in radicibus quorundam fru-

ticum, vt capp. tamaricis: & arborum, vt fraxini, mori, faciendum est.

Radices iam siccatæ si ægrè pulueran-tur, papyro inseritæ igni siccantur, vel cali dæ sartagini imponuntur, & igni expo-nuntur: igni autē vel in sartagine vel pa-pyro, vel furno, vel supra, aut intra furnū, à quo panis extractus est. Radices eædē, & aliæ magnæ recētes, lotæ, radiculis pur gatæ, ac per tessellas incisæ, filóq; trāsfixę paruis interuallis, ne se tangant, in aëre ventoso & perflatili siccantur, vt radices ireos, aristolochiæ rotundæ & longæ, bryoniæ, & similium: quæ tamen etiam citra diuisionem probè siccantur, vt radix ari, dracunculi, cyclamini, asphodeli, vti elignatæ prius istæ, mandragoræ, eryngij apij, petroselini, fœniculi, rusci, turbith, ellebori vtriusque, dictamni vulgaris, thapsiæ. Paruæ radices aliæ citra eligna-tionem in vmbra quoque siccantur, vt asari, asparagi, graminis.

Colocynthis septembri legitur dum fla uescit, maxima, & cum aliis multis produ
Mes. cta: insolatur diu, quia ægrè siccatur, & nocte in aëre perflatili reponitur, aut si cælum est nubilum, filo transfixa fumo siccatur, post excorticatur, vt teratur, item quarta parte horæ inuoluta papyro inso-

latur,

latur, vel igni, aut fumo admouetur.

Aloë decocto aromatum imbuta ficca- *Ibidem*
tur, primo in vmbra, deinde in sole: sic myrobalani tritæ oleo amygdalarũ dulcium, æstate triduo confricatæ, & quoties opus erat irrigatæ siccantur primùm in vmbra, deinde in sole. Trochisci tamen ex his facti in vmbra tantùm siccantur.

Pulmo vulpis sanæ, venatu captæ, iuuenis, aqua abluatur, incidatur secundũ arteriam venosam, & magis multò secundũ venam arteriosam, sanguine purgetur, vino albo, odoro, modicè calido lauetur, olæ impositus clibano parum calido siccetur, refrigeratus, & foliis absinthij inuolutus reponatur. Plura de his leges in fine, in his quæ pluribus modis præparantur.

Amygdalæ & nuclei pinei cortice tenui ablato in pelui super prunas ignitas per se, vel potius cum furfure ducãtur, & succutiãtur donec humiditas rancida, aut excrementosa cõsumatur, alioqui pectori nocent, & tussim excitant qualitate rancida. Pruna, ficus, vuæ, zizipha, myxa, pyra, & alij fructus multi sole feruidissimo, aut eius penuria igne siccantur: sed vua oxyacanthæ vmbra siccatur.

Fructus quoq; rubi immaturi clibano siccantur ad maiorem astrictionẽ, & mo-

ra viridia, aut subrubentia. Fella in folliculo parum cocta ex aqua calente in vmbra siccantur. Coagula animantium parum salita insolatu siccata seruantur.

DE HVMECTATIONE.

HVmectantur nunc aqua, nunc lacte, nunc aceto, nunc oleo, vel alio humore medicamenta, nõ modò simplicia, vt fœlicius & innocentius in compositionem vel vsum veniant, sed sæpe etiã composita, vt cùm crassa humore diluimus, quò facilius & iucundius deuorentur.

Caryophyllũ, zingiber, myrobalanos, cepulas, & emblicas ad condituram, qua industria humectes, docet Mesues initio libri sui de antidotis, & in simplicibus.

Mastiche, moschos, ambra, terendo humectantur aqua rosata.

Gummi Arabicum, tragacantha, aqua etiam vini, myrobalani, scammonium, colocynthis, caphura, turbith, sericum, crocus, euphorbium, & alia pleraque, terendo humectantur oleo amygdalarum dulcium.

Amygdalæ, strobili, pistacia, parum humectantur aqua dulci aut rosata ad meliorem trituram & saporem delicatum, si emulsionem, amygdalatum, marcipanes, facturus es, alioqui pinguescunt, & palato ingr

ingratæ fiunt & ventriculo, vt etiam nauseabundæ fiant.

DE INFVSIONE.

HVmectationi proxima est infusio: in hac enim medicamenta parum trita aut concisa, nisi minuta sint, macerantur, & temperantur humore aliquo scopis nostris apto, eo magis minus calido à sole vel igni potius quàm frigido. Tẽpus autem quo id fit varium est. Nam nunc infunduntur semihoram, nunc horã, nunc horas plures, dies, mẽses, pro varia medicamenti natura, & aliis medicorum scopis. Vt enim quędam parum diu terenda & coquenda, sic infundenda, quòd virtutem habẽt vel imbecillem, vel superficiariam, & rara sint admodũ. Contraria diutius infundenda. Varij præterea scopi medicorum faciunt, vt nunc minus diu, nũc diutius quædam sint infundenda, & quędam (vt nuper distinxi) minimo aut mediocri, aut valido calore in id fouenda. Medicamenta infundimus, vt facultatem eorum maleficam quidem auferamus vel castigemus: bona verò augeamus vel in humorem ipsum vtendam transferamus, quos tres infusionis scopos præcipuos ábundè Mesues docuit lib. 1. & nos lib. 3. de ratione componendi medicamenta.

Infunduntur autem hodie potissimùm purgãtia medicamenta, sed etiam alia in apozemata, syrupos, olea, & alias compositorum medicamentorũ differentias.

Humor verò cui iufunduntur maximè varius est, pro scopis variis, purgantia tamen frequenter sero lactis infunduntur, quia purgatorium, & ori iucundum, alia humoribus aliis, vt pòst audies.

Mes. Thymelææ fructum aut folia, & tithymalorum, & similiter lactariarum aceto infundimus.

Turbith lacti recens mulso infusum & siccatum ventrem turbare desinit.

Aloë decocto aromatum vel specierũ hieræ, & aliorum quorundam calidorum macerata, citius etiam in ventriculi tunicas altè recepta vacuat: illi autem decocto si colocynthis aut turbith addatur, etiam à longinquo trahet aloë facultate acquisititia, non insita.

Ibidem Myrobalani obstruere desinunt si infundantur in serum lactis vel succum fumariæ, addito præsertim absinthio, vel agarico, vel rha barbaro.

Senna cõtrita horis vigintiquatuor in succis maceratur, semel aut bis feruefit, colatur, exprimitur in syrup. Saporis.

Manna maceratur succo intybi, feruefit,

fit, manibus fricatur, colatur in syrup. acido ex manna.

Rha barharum infunditur aquæ cichorij, vel intybi, vel apij, vel pantaginis, adiecto interdum vino albo pauco, & cum Mesue spica, pro variis medici scopis. Id autẽ ante infusionem scalpro aut cultello in tenuia velut in folia incidatur, potius q̃ vulgi more teratur, ne vis eius exhalet. *Ibidem*

Thamar Indi infunduntur sero caprino, aut succo fumariæ, vel lupuli: modos eorum infundendo varios lege in simplicibus Mesuæ. *Ibidem*

Rosæ & violæ infunduntur aquæ aliquoties, vt syrupus inde purgatorius coquatur: infunduntur & aceto, quod ab his rosatum & violatum appellatur. *Ibidem*

Alia propè omnia simplicia purgantia variè infundi docet Mesues in simplicib.

Cyminũ in dioscolitico seu diacymino maceratur vigintiquatuor horis aceto, deinde vase terreo bene cocto frigitur, & siccatur: id autem fit vt citra calorem altius penetret ac incidat. *Lib. 4. sanitatis tuẽ.*

Radices vreticæ calentes eadem ratione aceto 24. horis ante vsum macerantur: si autem postea sint coquendæ ex aqua, satis est prius horas sex aceto macerasse. Eadem ratione semen anisi, anethi, apij,

ameos

ameos, amomi, cari, fœniculi.

In oxymelite melanogogo simplicia macerat Mesues horis vigintiquatuor aceto albo, aqua, succo buglossi.

Coriandrũ aceto cui incoctus sit sampsuchus maceratum rectè corrigitur.

Gal. li. 6. simp. Dactyli aceto macerãtur triduo in diaphœnico Mesuæ.

Semen erysimi aqua macerandum est, ad obtundendam igneam eius caliditatẽ, priusquam eclegmatis misceatur.

Nuclei pinei virides aqua macerandi, vt acrimoniam in ea exuãt. In E. Hamech simplicia infunduntur sero lactis quinq; dies Mesuæ. Lupini aqua fluuiali diebus 6. 7. 8. macerati miteſcunt & dulceſcunt, vti aqua priore abiecta cocti.

Cicera, triticum, hordeum lacte aliquoties infunduntur Mesuæ, & siccantur in puluere impinguante. Cicera aquæ incoquuntur in diasatyrio secundo, vtrunque fit vt pars eius nitrosa & tergens, in lac & aquam transferatur, reliqua eius substantia seruetur.

lib. 4. sanit. Semen abietis & flores populi macerat dies quadraginta oleo Galenus, sæpe tres, quatuor & plures menses, postea exprimit oleum digerens & acopum.

Sericum crudum cocco baphica tinctum

ctum maceratur succo pomorum, succo granatorum, decocto corticum citri & aliis syrupis ex succis simplicibus & compositis, donec ij succi rubeant, & serici simul & cocci facultatem acceperint.

Infusio hæc dum facultatem medicamenti vel maleficam emendauit, vel bonam auxit, aut in humorem transtulit, finem suum assequuta est: sæpe tamen fit, vt præparatio quædam sit coctionis, sic ante coctionem simplicia aliquādiu macerata passim reperies, imò & post coctionem, ante ipsam colationem, præsertim dum vis quæsita ægrè in humorem trahi potest ex materia dura, crassa, densa. Sic lignū gaiaci, ebeni, buxi, fraxini, genistæ, iuniperi etiam tritum aut limatum diu, etiam ad triduum ante coctionem humore aliquo idoneo maceramus, vt vires eius incidentes, tenuantes, tergentes tandem in decoctum trahantur.

Quin & medicamenta nodulo ligata, iusculo vel alteri leuiter incoquimus infusionis loco: & quæ infudimus sæpe semel aut bis feruefacimus ante expressionem aut colationem.

Infunduntur præterea quædam tantùm, vt tenerescant, idque ad condituram vel coctionem celeriorem.

Sic

Mes. in simpli. & conditis. li. 7. c. ph. p. & Mes. in antidotis.

Sic Mesues myrobalanos ad conditu-ram aqua & hydromelite humectat, & dies octo fero caprino macerat, pòst se-mel feruefacit.

Capita papaueris forficibus minutim conciſa macerantur cum ſemine aqua pluuia vel fontana die vno: vel ſi iam ſic-ciora ſunt, etiam biduo & triduo, vt tene-reſcant ad diacodij compoſitionem.

Myrobalani oleo amygdalarum dul-cium, vel violato, vel roſato, vel ſeſamino imbuuntur & irrigantur, poſtea ſiccãtur: id quod ipſis infuſio, ſeu affuſio, ſeu per-fuſio quædã eſt. Dum item hæ tritæ oleo amygdalarum dulcium triduo per æſta-tem confricãtur affuſo oleo quoties opus eſt, deinde ſiccantur. Altero autem triduo ſimiliter in ſole confricantur ex aqua ſac-charata, vel ſero ſaccharato, vt poſtea for mẽtur in trochiſcos Meſuæ, niſi nutritio-nem eſſe mauis, de qua mox dicemus, vti & dum ſpecies hieræ Hermetis tritas in-uoluit bis ſucco cucumeris agreſtis, & ſic-cat, vt eius ſucci vires puluis in ſe trahat.

Alia infunduntur, vt diſſolui poſſint: ſic Ammoniacum, opopanax, galbanum, ſa-gapenum, & liquores alij aceto vel hu-more alio ſuper cineres calidos ferè in-funduntur, vt ſoluantur. Fractos eoſdem

hydro

hydromelite infundit in hiera Archigenis ex Paulo, vino autem infunduntur in hiera Hermetis, in hiera autem diacolocynthidos Rufi, myrrham ſolam vino infundit: ſagapenum & opopanacem cum aliis terit, vt nos hodie in hiera diacolocynthidis Paccij facimus: in qua tamen Scribonius opopanacem & ſagapenū in mortario terit, adiecto melle tenui, id eſt quàm liquidiſſimo. Infunduntur eadē ratione gummi & ichthyocolla, vt diſſolui poſſint, vel vt in muccaginem abeāt, quo fine etiā ſemina & radices lentore aliquo præditæ, humore calfacto macerātur. Sed de his in ſuccorū extractiōe mox audies.

Ad infuſionē reducitur infectio ſeu tinctura, vt ſericū ſucco cocci baphicę tinctū ad cōpoſitionem cardiacā celebrem diacoccu baphices, & in ſyr. de pomis, & de granatis, & de corticibus citri. Quanquā idem ſericum tinctum præterea ſuccis illis infundatur, donec ſucci rubeant, & ſerici atque cocci vires in ſe traxerint.

Filum purpura marina tinctum, ſi poſt ea viperam ſtrangularit, ad pariſthmia eſt efficaciſſimum Gal.

DE NVTRITIONE.

NVtritio quoque quam vocant, fuerit infuſionis ſpecies: ſic autē eſt appellata

pellata hæc præparationis differentia loquentibus abusiuè, quòd quemadmodũ per veram nutritionem fit vacuati repletio,& etiam incrementum,quandiu scilicet id fieri ex partiũ sequaci mollitie potest:sic medicamenta quę humore aliquo imbuta, macerata, tribulata, confricata, præsertim calfacto velut augentur.

Sarcocolla alba, magnis glebis constans, lacte muliebri nutritur, sed pauco: Nam multo lacte operta liquescit, & lac ipsum priusquam sarcocolla siccetur, acescit:paucũ igitur ex mãmis ipsis irrigãdum cõfestim sole siccetur, iterum & tertio,quarto,quinto similiter irroretur &siccetur,& tandẽ reponatur. Aspergi etiã asinæ,capræ, equæ lacte vel alio potest. Semẽ cari calfactũ lacte caprino horas duas quidã nutriunt in vase mũdo,exemptum siccatúmque reponunt ad fluorem alui.

Myrobalani oleis,sero saccharato,butyro vaccino,succo cydonioũr,vel alio humore dũ irrigat,macerat,fricat,frigit.Mesues clementer,& his humoribus imbuit vel ad condituram, vel ad noxas earum castigandas, siue solæ vtendæ, siue in cõposita veniant, vt trypheram sarracenicam perfectam, trypheram Galeni,elect. stomachicum Mesuæ,& elect.alhari & sequens

quens, quodammodo nutrit. Sic & ſpecies omnes elec. Indi maioris, dum oleo amygdalino confricat idem.

Colocynthis quoque ſeminibus ſolis extractis, ſi impletur aqua cum pauca ſpica & maſtiche, & coquitur in cinere calido ad partis tertiæ conſumptionẽ, hócq; decocto paulatim affuſo ſagapenum irrigetur, donec pingueſcat, nutriri dicitur ſagapenũ: eodẽ modo & opopanax. Decocto myrobalanorum, vel ſucco enulæ campanæ, aut rutæ, aut fœniculi cũ felle pauco auiũ rapaciũ, & ſpica & maſtiche ad dimidiũ cocto & colato idẽ fieri poteſt.

Folia etiam thymelææ aceto nutriuntur in elec. diaphyſſalidon. Eadem in aceto infundit, & ſiccat in pilulis thymelææ, vt eadem ſint vel ſaltẽ omnino proxima infuſio & nutritio. Ambæ enim humore fiunt & calore blando, qualis ad nutritionem veram eſt aptiſſimus, cum immoderatior vrat, imbecillior ſit inefficax.

Metallica ferè in aëre calido non tamen ſuper ignem nutriuntur.

Metallica etiam ſæpe nutriuntur humore aliquo, vt diſſoluantur promptius, vel etiam liquentur, vel pi[illegible]cant, & velut aucta tumeſcant.

Scoria ferri in aceto dies quinque in

tryphera minore Mesuę, & tryphera moschata, & tryphera Galeni.

Lithargyros nutritur ex oleo sic, vt vnciæ eius triti quatuor tãdem olei libram vnam, aceti quartaria quinque ac eo plus ebibant, ídq; omnino sine igne, multum diúq; pistillum per mortarium ducendo. Nam lithargyro etiam vncia vna corpus dat plurimum, vt etiam sine cera emplastrũ perficiat: sed initio diu tere primùm cum pauco oleo, postea affuso vicissim pauco aceto. Nam multo sic mergitur, vt corpus non assequatur. Vbi autem initio paulatim nutrita est, & consistentiã crassiorem friando assecuta, tum largiorem vtriusque copiam ebibit. Continenter autem friatur ad horas duas, tres, nisi quòd per initia potes aliquantisper cessare, vt interim velut in otio largius cõbibat. Sic & chalcitis, & scoria ferri, & ęrugo, & metallica cętera ex oxelęo in vnguẽti formã diu friãdo duxi, sed bibacissima est lithargyros: opinor, qa siccis. & rara modicè.

DE EXPRESSIONE.

EXpressio est humidæ & tenuis substantiæ separatio, à sicca & crassa duro aliquo & valido compressu facta. fit autẽ sæpe torculari & eo multiplici, quale vinum ex vinaceis exprimunt, & quale

pinxit

pinxit Mesues in oleo amygdalarum dulcium, quale item vsurpamus in exprimẽdis oleis, & succis aliis, & decoctis, & carnibus, & similibus: siue id torcular est, siue prælum librariũ, vt in oleo amygdal. dulcium Mesuæ diximus. Ferè autem exprimenda, ne diffluant, aut dissiliant, inuoluimus panno forti, vt cannabino, caprino, setaceo. Est quando tantum caprino aut lineo inuoluimus, & manibus ac digitis prælorum loco vtimur, vt dum medicamenta purgantia infusa exprimimus. Adde quod nunc denso, nunc raro panno exprimimus, interdum clementer, interdum valenter pro scopis medicorum variis: quædam item frigida exprimimus, alia etiam calida: quædam solum calida exprimi possunt, vt oleum amygdalarum dulcium, & similia in Mesue. Sic portulacæ, cotyledonis, semperuiui, buglossi succum exprimimus calẽtem, aliâs humore aliquo liquidiore affuso, vt dicemus in succorum extractione.

Expressionis vsus igitur latissimè patet in infusis, apozematibus, & coctionibus propè omnibus, in syrupis, in oleis, & id genus aliis: quo autẽ instrumento & quatenus calidũ, aut frigidũ vnũ quodq; est exprimendũ, in singulis compositorũ re-

mediorum differentiis melius cõdiſces.

Neque ſolum colationi ſuccedit expreſſio, imò eam ſæpe præcedit: & quando eam ſequitur, blãda admodum eſt facienda, ne quod craſſum & terreum colo adhęret, id totum vi in ſubiectum humorem colatum elidamus.

DE CONFRICATIONE.

CONfricatio rerum infuſarum, aut etiam coctarum manibus facta colationem & expreſſionem adiuuat, ob id ante has ſępe obitur: interdum expreſſionis vice eſt: ſic crocus panno lineo ligatus inter coquendum, infricatur in ſyr. Saporis, de pomis & quibuſdam aliis compoſitis.

Manna ſucco intybi macerata fricatur manibus ante colationem in ſyrupo acido ex manna.

Rha barbarũ pãno lineo ligatum fricatur, & exprimitur in ſyr. cichorij cõpoſito. Scammoniũ panno tenui ligatũ ſæpe confricatur in ſyr. acetato cholagogo.

Elleborus niger nodulo lineo ligatus in oxymelite melanogogo ſæpe confricatur.

Medulla cnici, turbith, zingiberis, panno lineo ligata confricantur ſæpe in oxymelite phlegmagogo.

Ellebo-

Elleborum nigrum, agaricum, salem Indum fricat Mesues in apozemate epithymi: cassiam verò manibus fricat ante colaturam in apozemate adianti: colocynthis forficibus incisa in oleo rosato fricatur ad componendos ex ipsa trochiscos. Mesuæ in trochisc. & simpl.

Sic manibus fricantur, & post dolantur simplicia in electario Hamech. Simplicia in succis macerata fricantur & colantur in elec. diaphyssalidon. Simplicia pilularum aromaticarum post coctionē fricantur & colantur.

Ferè autem hic nodulus in medicamento humido manet. Sic scammonium panno lineo raro ligatum suspenditur in syrupo fumariæ, & noduli aromata continentes, & compositum condientes in ipso suspensi manent, vt pòst leges, titulo de aromatizatione. Quam consuetudinem hodie plerisque seruari video in syrupis purgantibus, præsertim contra morbum longum, aut in hominis delicati gratiam compositis.

Aliquando tamen vbi vis eius noduli tota in compositum confricando est expressa, abiicitur. Sic Soranus cum melle & capitibus papaueris myrrhā, crocum, hypocisthidē, acaciam nodulo ligata in- *Gal. li. 7. c. ph. p.*

coquebat, post vbi vires suas diacodio impressérant, tollebat. Quod exemplum eò ascripsi, ne id nouum putes, & Arabibus acceptum referas.

In sim. Mes.

Alia tamen est confricatio, quæ ad infundendum, imbuendum, molliendũ, & humectandum magis pertinet, vt cum myrobalani omnes butyro vaccino fricãtur, cæteræ species oleo amygdalarum dulcium inuoluuntur in tryphera sarracenica, & Phenonis. easdem ne partes nutritorias valenti astrictione sua exaspe rent, oleo amygdalarum dulcium vel ro sato, vel violato, vel sesamino, vel aliis lenientibus tritas mergit, confricat, & lubricas facit. Possis tamen non modò manibus fricare, sed etiam in sole aut igni clementiore frigere, cũ alioqui nec ipsæ rarefient, nec butyrum, aut oleum quoduis liquabitur, vt ipsas promptè totas permeet, ac imbuat. ob id in tryphera minore Phenonis, myrobalani assentur in butyro vaccino, legimus. & nos in tryphera sequente: hæ butyro vaccino inuolutæ frigãtur, vertimus, vbi legebatur, fricentur, & alibi aliquoties. Vbi (vt dixi) etiam fricentur legere possis, cum vtrunque patiantur, hoc est manu fricentur, & sartagine, aut vase alio blandè frigantur.

Et

Et in Elec. à nobis inuento, frige bis vertimus pro frica: tamen potes si libet lectionem priorem retinere: vel istam, præsertim cum in simili Elec. alcanzi, myrobalanos, & simplicia alia bis feruefaciat.

Friguntur tamen verè quædam, vt cuminum aceto maceratũ frigitur Gal. lib. 4. sanit. tuẽdæ, in vase terreo bene cocto. Plura huius exempla leges in assatione.

DE SVCCORVM EXtractione.

QVanquam loco hoc coctionem infusioni (vt ante memini) viribus & præparationis modo proximam, docere exigit ordo rei: quia tamen rerum ante tractatarum cõsecutione quadam in expressione transiuimus, succorum autem extractio tritura cõstat & expressione, iure optimo succos exprimẽdi modum hic interserimus. χύλος autem (vt in simplicibus ex Galeno abũdè docuimus) nunc is est humor, qui virentibus herbis, aut fructibus humidis, aut seminibus oleaginis tritis exprimitur, & viscago ceu muccago quædam ex glutinosis seminibus, radicibus, gũmis, partium neruosarum ramentis, humore aliquo calfacto maceratis extracta. De his omnibus hoc loco agam.

Succus ex omnibus foliis virẽtibus per

se tritis exprimi potest, præter quã quòd quædam ob siccitatem vix succum aliquem reddunt si per se terantur, vt folia lauri, saluiæ, thymi, rorismarini, sabinæ, & quæ plantarum sunt sylvestrium, & ex locis editioribus ac siccioribus, & æstate calida sicca, atque adeò post meridiem succum parciorem reddunt: aliæ ob lentorẽ, vt buglossum vtrunque, cotyledon, & aliæ quædam pòst dicendæ: sed vtrunque genus misto eget humore liquido, ad succi expressionem.

Ad varios verò auriũ & partiũ aliarum affectus adhibet Gal. in simplicibus, & li. c. ph. p. succos recentes hippuris, cucurbitæ, cãnabis viridis, hederę, polygoni maris, prasij, stœbes, absinthij, fœniculi, dracõtij, lactucæ agrestis, fumariæ, centaurij parui, chelidonij, libanotidum, anagallidum, anemonarũ, peucedani, betæ, brassicę, calaminthes, foliorũ ficus, cynoglossi: floribus populi albæ, floribus spondylij, floribus rosarum, violarum: radicibus cæpæ, allij, porri, cyclamini, scillæ.

Ex fructibus etiam vt pomis cydoniis, granatis, vuis, & aliis permultis: de quibus abundè nobis dictum ex Galeno in Mesue est, sectione prima & secunda.

Quo autem modo aloë, scammonium, glaucium,

glaucium, hypociſthis, acacia & externi alij plantarũ ſucci extrahantur, cum plantas ipſas nõ habeamus, didiciſſe parui eſt momenti, cum præſertim ex Dioſcoride repetere poſſis: quãquam aloë nobis iam frequens ſatis eſt, ſed pẽſilis ferè ad pompam, altilis nulla, propterea non quæuis aloë ſuccum laudabilem reddit, vt Dioſcorides & Gal. edocuerunt.

Acacia verò noſtrâs fit ex prunis agreſtibus aqua maceratis, igni lento coctis ad diſſolutionem: colatum ex his ſiccatur igni vel ſole, complanatum in teſſellas ſecatur, rubentes & aſtringentes magis, ſi immatura erant: nigras & dulces magis, ſi matura.

Lycium noſtrâs ſic fit in libello, cui titulus eſt de dynamibus, id eſt, facultatibus, & Gal. tribuitur. Periclymeni (quod caprifoliũ vocant) baccas menſe Septembri tere, torquendo exprime, inſolatu ſicca, repone. Alterum autem verum hodie deſideratur.

Radices glycyrrhizæ recentes, præhumidæ, Iulio menſe tritæ ex aqua coctæ, ad craſſitiem colantur & exprimuntur: expreſſum igni vel ſole ſiccatur.

Oleum omphacinum ex oliuis immaturis: dulce, ex maturis exprimere in Gal

lia Narbonensi vulgare est.

Sic omphacium, ex vuis immaturis & natura acerbis: vinum, ex maturis & dulcioribus exprimere cuiuis notum est. Pomorum agrestium tritorũ succo expresso parum salso vtuntur Septentrionales omphacij vice.

Ex siccioribus verò foliis seu natura seu cœli & soli ratione, vt succũ aliquem extrahas, vinũ aqua vel humor alius proposito, idoneus (vt dixi) miscetur intertundendum: qui propè totus cum succi portione aliqua exprimendo reddetur.

Eodem modo ex portulaca, cotyledone, semperuiuo, buglosso vtroque, & similiter glutinosum succum sortitis, Galenus docet succũ illũ affuso humore idoneo extrahendum. Ex his tamen sine externo humore succum extrahis, si parum calescunt ipsæ, mortariũ, pistillus, succus, prælum, vel si tusæ citra calorem calatho saligno impositæ, loco frigido, vt in cella vinaria repositæ sint. Nam in catinũ subiectum humor satis multus paulatim defluet. Portulaca tamen erratica & quæ viribus est familiaris quàm hortensis, & buglossum tenerũ quàm vetustate iam pinguius, & folia borraginis quàm caulis succum facilius remittunt.

Cucurbi-

Cucurbitam maza pinsita inuolutam clibano coquit Mesues, deinde succum exprimit in syrupum cucurbitæ.

Ex scilla succus extrahitur optimè diebus canicularibus 40. quibus ea particulatim digitis discerpta vasi mellario imponitur, operculato, & pelle circundato, deinde loco meridiem spectante contra boream lecto insolatur sepe vertendo, vt vndique solem sentiat: post hos scillę elixæ similis succum in fundo imponit mel le condiendum. Alij scillam inter multas collectam cultello ligneo corricibus externis purgatam, maza inuolutam, clibano mediocriter calido coctã, exemptam, vt calet tusam in mortario lapideo calido, pistillo ferreo calido, panno lineo, tenui, calido inuolutã valenter exprimunt. Sic autem assat Dioscorid. vsq; crusti frumentacei vel lutei coctionem, tamen succi eius non meminit. Alij sine assatione foris & intus purgatam multum calido ligneo aut lapideo mortario & pistillo tusam mox calido linteo, torculari calido exprimunt, & succum multum facilè reddit, & purum atque clarum Quod si frigida scilla frigido mortario & pistillo trita sit, in sartagine terrea parum frigatur, ilicóq; exprimatur inter asseres calidos vel

torcu

torculari calido ac aëre calido. Quæ omnia Gal. innuit, cum succũ hunc diebus canicularibus, nẽpe omniũ calidissimis, si suam seruãt naturam, optimè extrahit.

Quædã minutim concisam exprimũt, quòd tusa pingueſcat, succúmque ægrè remittat, nisi vt dixi, calefiat: alij tusam calatho sparteo imponunt aut saligno, in celláque vinaria aut similiter frigido loco collocant, distillátque in vas subditum. Liquores, & gummi, & resinæ: castrata, terebrata, secta, scarificata, plantæ radice, trunco, ramis, calice destillantes, raro à nobis colliguntur, sed ferè ab externis mittuntur, à quibus qua ratione eliciantur, docet in horum singulis Dioscorid. succum tamen ex incisa salice dum floret distillantem colligere possumus ad vsus à Galeno scriptos, & opium ex capitibus papaueris nigri mense Iunio aut Iulio & ex aliis nostratibus plantis. Elaterium autem ex fructu cucumeris agrestis quomodo extrahendum, lege Dios. & in his vide ne succũ pro liquore supponas, cum sit multò ignauius scammonium succus, quàm liquor, & in aliis ad portionem, vt Dios. & Gale. abundè docent. Sic ex mandragoræ radice incisa, forata, cauata liquor emanat valentior succo, & iisdem

radi

radicibus tritis expresso,& ex ficu, lathyride, chelidonio, foliis aut surculis auulsis, lac emanat, ex illis & tithymalis albũ, ex hoc luteum.

De secundo succi genere qui ex oleaginis seminibus tritis exprimitur, vt amygdalis ambabus, auellanis, iuglandibus, pistaciis, strobilis, balano myrepsica, nuce myristica, semine cucurbitæ, cucumeris, melonis, citreoli, cannabis, napi, sinapi, ricini, cocci gnidij, lini, papaueris, hyoscyami, pomorũ, pyrorũ,& id genus aliis abundè cum Mesue diximus sectione nona de oleis, quod hunc succum etiam Dioscorides & Galenus oleum sæpe vocant, potéstque hic ex omnibus seminibus medullatis extrahi, vt etiam ex vuarum seminibus tritis exprimitur igni in lucernis durantissimum.

Mel quoque ab anacardis extrahes, si eos ablato pediculo coquas ex aqua. tũc enim quod supernatabit melleum cochleari colligendum est,& aliter.

SVCCI genus tertium ex glutinosis seminibus & radicibus & aliis in humotẽ calfactum aliquandiu infusis extrahitur. Semina ferè sunt cydoniorum, marrubij, vrticæ, lini, fœnigræci, psyllij, maluæ, altheæ, citri.

RA

RADICES sunt maluæ, altheæ, symphyti, periclymeni, scillę, gummi arabicũ, tragacãtha, minutim incisum, sic ichthyocolla, taurocolla, ficus, vuę, horum vncias tres aquæ calidæ libra vna macerabis nocte vna, postridie recalfactũ sacculo aut mantili ex tela noua forti impone, intorquendo exprime, virga lignea aut ferrea gracili percute: succum eadem derade. id fac donec succus effluere desinat, & semẽ exuccum & siccum euaserit, vel radix.

Alij aquæ libras tres, vni seminum aut radicum libræ imponunt, alij libram vnã aquæ communis vel humoris alterius si requiratur, dant, vnciis quatuor seminum vel aliorum. Si autem succum vis liquidiorem, aquam auge, vel semen minue: si crassiorem, contrà.

Interdum etiam triduo macerantur, vt in diachylo communi, quod à χυλὸς, hoc est succus seu muccago, est appellarum: vt in sectione 12. Mesuæ diximus, & libr. 3. metho. medicamenta componendi.

Quoniam verò Arabibus psyllij interior medulla calet, cortex friget, vbi refrigerandi consilium est, per succum psyllij, neque diu, nec multo calore macerant, neq; valenter exprimunt: ne substantiam calidam foras extrahant, quam nonnulli

in vlcere, admoto psyllij succo, cum aqua dulci extracto manifestè affirmant se deprehẽdisse, & morsum in vlcere calorẽq; excitatum, quem succo alio ex psyllio clementissimè expresso, postea compescuerunt, sed sola refrigeratrix facultas toti semini à Græcis tribuitur. Sic semen psyllij cum aqua fontis frigida tribulat Mesues, & eductum succum dat potui ad aluum soluendam. Decocto semen psyllij macerat horis viginti quatuor in singulas rudicula agitando, deinde totum succum exprimit in oleo de psyllio: vbi nõ videtur timere venenosam virtutem occultam in parte seminis eius interna & calida quarto ordine: fortè ob id quod ipso decocto obtunditur & emendatur.

Ex taurocolla, & ichthyocolla, & cotiorum tamentis, & partibus omnibus neruosis particulatim sectis muccago quoq; extrahitur, sed in vsu medicis frequentiore est, quæ ex ichthyocolla, id est piscium, præsertim quos moruas vocamus, fit. Satius autẽ est hæc rasa aut limata ex aqua lento igni coquere, donec tabescant. Qui autem valido igni primò coquere aggrediuntur, vrunt, & incoctilem reddunt.

Soluitur quoq; ichthyocolla hęc lotio, aqua salsa, aqua extinctioni calcis, aceto.

In

In emplastro diachylo magno, ichthyocolla aqua communi igni lēto, aut super cineres calidos diu macerata & paulatim cocta, tota abit in cremorem.

Pellis arietina ad dissolutionem dum coquitur in emplastrū, contra rupturam, muccago quoque ex ea extrahitur.

Ex gummis quoque muccago frequēter extrahitur potissimum arabico & tragacantha, vt horum drachmis duabus in aquę rosatę vnciis 5.6.7. solutis, vt in eclegmate sano, vt sit albius & leniēs magis. Muccagine ex gummi tragacanthi drac. duabus aquæ rosarum vnciis 7. vel 8. solutis liquantur sacchari libræ quatuor ad hypoglottidum (quas pilulas albas sub lingua vocant) compositionem.

Ex drachma autem vna tragacāthi potes vnc. tres, quatuor, plures muccaginis extrahere: si multum & diu baculo aut cochleari percutias.

Ad muccaginem hanc reducenda est congelatio lentorum iusculorum à frigore facta.

Pedes enim vitulorum, colla veruecū, capi, perdices, & carnes aliæ præsertim neruosam multam substantiā sortitę coquuntur ex aqua igni primùm lento, deinde mediocri vsq; ad carnium dissolutionem,

nem, seu donec iusculi portio exigua cochleari exempta & refrigerata inter manus confricata, ipsa suo lentore velut ser ruminet. Tunc omnia in mantile mundũ, mediocriter rarum coniiciuntur, catino lato supposito, in quem humor defluat, ossa cochleari vnco, furcella eximũtur, reliquum mantili mediocriter intorto exprimitur. Nam valens expressio turbidam faceret gelatinam, vt pedes verueccini nigram, nisi exactissimè lauentur & purgentur. Mox adeps flatu deturbatur, & cochleari deraditur, iniectis postea albuminibus clarificatur. Additur sacchari libra vna, cinamomi boni crassius triti vncia vna, in cremoris libras quinq; aut sex, & crocus si flauum vis, aut linteolum succo florum cichorij aut alio quouis imbutum: vnde opinor id linteolum tornesol vocant, vti & florem cichorij solsequium, & gyra solis & sponsa solis vulgo dicitur, quia cum sole vt alij flores multi circum agitur. Mox calidum adhuc per manicam, vt vocant, Hippocratis colant prope ignem, ne ante tempus, frigore cõcrescat: neque per colum transfluat. Vbi sponte sua fluxit, quantum erat fluxile ac liquidum, in patinas distribuitur: loco frigido, vt concrescat, reponitur.

Sunt qui ichthyocollę portionem cum prædictis incoquunt, vt citius lenteſcat, & magis glutinoſus cremor euadat.

DE DESTILLATIONE.

DESTILLATIO humoris è ſucco tenuiori extractio vi caloris, ad hũc locũ omnino pertinet. Quæ verò ad eius rationem, vires, inſtrumenta, ignem pertinent, fuſiſſime libr. 3. Methodi componendorum medicamẽtorum docuimus: Hoc autem loco lectorem tantùm exercere ſtatui in quibuſdam deſtillatis paulò difficilioribus.

Eodem loco & ſectione nona Meſuæ, de oleorum genere quarto egimus, etiã de deſtillatione per aſcenſum, ſic dicta, quòd vapores ſurſum elati, ibi concreti, in aquam diſtillant: cuius nunc vſus eſt longè frequentiſſimus. Segmentis pini latifoliæ vas impletũ, aqua roſarum affuſa, ſi vaſe duplici deſtillas, ſuccus emanãs oleoſus eſt odoratiſſimus, qui caphuræ aqua vulgo dicitur.

Siroſæ quas incarnatas vocamus ſiccatæ, vapore aquæ calẽtis humectatæ deſtillantur, aquam roſarum bonam reddent.

Deſtillata vapore aquę calentis vires & qualitates plantarum integrius retinent, ſed quia excrementoſa ſunt parum diu

ſeruа

seruari possunt. Diutius quę cinerum aut arenæ aut scoriæ pulueratæ calore destillantur in vasis lapideis, aut vitreis, quantumlibet multis super longam aut rotundã fornacem tegulis intectam, quæ sustineant arenas altas plumbo alto circundatas: sed vase hæc paulatim calfacienda & refrigeranda sunt, priusquam aëri frigido aperiantur: alioqui mox rumpuntur. quæ autem plumbo destillantur, omnino improbãda censeo, propter cerusam & qualitates alias plumbi maleficas, cum & aquam per tubos plũbeos deductam dãnarit Gal. quòd dysenteriam excitat.

Destillatio per descensum nobis dicta in tertio genere oleorum Mesuæ, & quæ per hãc destillantur. Scillæ etiam recẽtes incisæ vasi infernè foraminulẽto sursumque lutato impositæ, si flamma circundatur, aqua in ollam aliã subiectam, simul cũ huius fundo lutatam defluet, quæ cũ farina vel pane mista, gustata mures citò necare quibusdã creditur, citius si lithargyri paucũ miscueris. Rosæ recentes linteolo super peluim tenso impositæ, si vas carbonibus ignitis plenum acceperint: destillant aqua multa & odora in eam peluim. Eodem modo flores reliqui. Quę etiam per descensum est destillatio.

Si duę matulæ ſibi applicentur, & ſuperior roſis impleatur, & inſoletur, diſtillat aqua odoratiſſima in ſubiectam.

DE COCTIONE.

CVM in omni deſtillatione coctio quędam fiat, per quam etiam aqua diſtillata ſucco eſt tenuior, & in omni coctione fieri deſtillatio poſſit, vt ollæ operculũ aqua excoquendorum vapore plenum indicat. Cùm præterea ambo calore fiant ordine optimo nunc dicendum nobis de coctione eſt, cuius partem maximã lib. 3. de ratione cõponendi medicamenta ſcripſimus, ac identidem tibi repetendũ eſt, ne bis de re eadem fruſtra ſit agendum.

Coctio medicamentorum ferè fit elixando in humore calido, rarius aſſando in calore ſicco. Coquuntur autem ſimul, aut per ſe ſimplicia frequentiſſimè, interdum & compoſita quædam.

Humor cui incoquũtur magna ex parte aqua eſt, ac ea vel ſimplex, vel medicamentoſa. Simplex item vel pluuia vel fontana, vel diſtillata: medicamentoſa verò eſt ſalſa, marina, aluminoſa, ſulfuroſa, bituminoſa, chalcanthodes, carbonoſa.

Ad aquam compoſitam reducũtur, lixiuium, lotium, vinum, acetum, omphacium, ceruiſia, hydromeli, œnomeli, apomeli,

meli, oxymeli, oxycraton, lac, serum, succi plantarum liquidi, oleum, resinæ recentes, adipes, butyrum, mel, saccharum humore pauco solutũ, & variæ in vnoquoque horum generum species, pro variis medicorum scopis, vt etiã interdum humores duos, plures miscere sit opus. Secundum cicerum decoctum, lac vaccinũ vel ouinum ad coquendas radices eryngij satiui, raphani, dracontij, in Mesue. Quantitas verò huius humoris varia est, pro scopis variis, vt in diasatyrio lac vaccinum vel ouinum sit quantum duobus digitis supernatet, quod si coquendis radicibus id non sufficit, nouum affundendum sed calidum, vt in bis coquendis omnibus sæpe admonet Galen. in alimentis, quod & coqui obseruant. In syrupis, & aliis coctionem requirentibus, quãtus humor requiratur, libr. tertio audies.

Color autẽ coctionis autor esse potest quiuis rebus coquendis moderatus (nã à solo calore mediocri fit coctio) nõ ignis solius, sed solis, animalis: calcis verò & fumi, & putredinis fimi aut corticum calor admouendis vsui esse potest, vt psorico Galen. sumendis verò noxius fuerit, vt ex carbonibus non ignitis nec semiustis, ex lignis putribus. Calor enim huiusmo- *Lib. 4. Simp.*

di, vti & fumosus qualitatem alienã cum empy reumate rebus coctis imprimit.

Electarium rosatum flamma lenta coquit Mesues,& syrup.omnes igni lento.

Sint igitur ignis alimenta sicca & odora,vt sarmentum vitis,quo theriacen coquit Galenus: vel carbones semiusti, & qui tetram qualitatem iam exalauerũt.sit autem primùm blandus,&paulatim si res postulat,intendatur:coctioni enim vehemens & repentinus nocet, quòd vrat,facultatem dissipet,empyreuma multum in re vsta non cocta relinquat.

Nec solùm ignis calore, vt dixi, fit coctio medicamentorum,sed solis,vt scillę, & ex ea acetũ scillites dies 40.Mesuæ insolantur,sæpe mouendo:& hydromeli,& syrupus alter calaminthes totidem dies, vel etiam duos,tres,plures menses flores populi,& abietis semen oleo macerat Ga
Lib. 4. simp. lenus,coquit quodammodo, multò magis si soli exponantur:quanquam quouis anni tempore fiat,vt psoricum ex chalciti dupla & lithargyro olla noua incluſum fimo, æstate media diebus canicularibus quadraginta sepelit, sic dum theriaca & similes antidoti opiatæ menses,vel etiam annos aliquot seruantur ad sui coctionem,quam fermentationem vocant.

Coq

Coquimus medicamenta, vel vt eorum vires imbecillas augeamus, incoctis simul his, quæ sunt valentiora, vel validiores minuamus, vel alienas in totũ abigamus, vel vt ex omnibus facultate diuersis & sæpe contrariis simul coquendis facultas vna concrescat & coalescat. Adhęc ob destinatam medicamenti formam, aut sumentis palatum, ob simplicium naturam, ob custodiæ diuturnitatem etiam quædam coctione longa siccamus, vti ob aëris humidioris conditionem. *Gal. in theriaca & antid.*

Præterea vt purgẽtur, multa coquimus. Ignis enim vt calida cætera homogenea cogit, & heterogenea separat, vt simplicium vires in humorem cui incoquuntur transeant, quo fine fiunt syrupi, apozemata, oleorum quartum genus.

Horum exempla aliquot fuerint hæc.

Brassicam, lentem, ostrea bis coquimus aqua scilicet priore abiecta, & noua calente affusa cùm aluum per hęc sistere volumus, semel verò cùm mouere. Sic allium, cæpa, porrũ, ampeloprasum, & quicquid àveteri natura ad contrariã traducitur, bis coquendum: sic tamen, vt nec aërem, nec aquam frigidã attingat. Nã planè tabescere & percoqui amplius nõ poterit etiamsi diutissimè coxeris. Quod

Lib.2. alim. præceptum etiã medicamentis commune eſt, quibus liquor nouus conſumpto priore eſt affundendus. Althæa adipibus incocta ſubigitur ad abſceſſus coctu difficiles, aqua mulſa viribus varia Gal.& Meſ.pro coctionis quantitate.

Lib.6. ſimp. Oxymeli quoque valde coctum flatus diſſipat.

Ex Galen. ſimpl. c. ph.p. Ramenta loti arboris in aqua aut vino coquũtur ad capillorum defluuium, Gal. in ſimplicibus.

Melli alumen idem incoquit, radicem tithymali, vel phlomi, vino vel aceto ad dentium dolorem.

Omphacium, ſuccũ mororum, vel batinorum, vel granatorum, vel rhu, vel cydoniorum, vel pyrorũ agreſtium, nucum viridium cum melle coquit in ſtomatica remedia, radicem & ſemen arctij ex vino.

Dracontij radicem bis, ter ex aqua coquit, vt acrimoniam deponat, & ſit apta eclegmatibus.

Aſphodeli radicem, vt amaritudinem perdat, quam ſcilla difficillimè amittit.

Bulbi radix cruda, vel ſemel elixa bona eclegmatibus, bis elixa amaritudinem totam deponit, & fit eclegmati inepta, cæpa, allium, porrum, ampelopraſum, cocta bis aut ter acrimoniam deponunt, adhuc tamen

tamen thoracica sunt.

Ari radix in aqua, aut sub cineribus cocta mitescit, lib. 2. aliment.

Buglossum in melicrato coctum arteriacum est.

Brassicæ succus cum melle coctus eclegma est.

Dactyli etiam in mulso aut passo cocti.

Serosa & eadē acris sustantia lactis coctione, vel immissis lapidibus, aut circulis ferreis ignitis consumitur ad dysenteriā.

Hippuris ad eandem coquitur in aqua, si febris adest: in vino austero, si abest.

Faba oxycrato incoquitur.

Instrumenta coctionis sint vasa omnis generis, aurea, argentea, ærea, stannea, stannata, ferrea, terrea: sed hæc bene cocta ne qualitatem malam medicamento largiantur: & ea vel silicea, vt vocamus, seu cum Mesue lapidea, vel blombata, præstantissima sunt vitrea.

Sunt ea autem vel simplicia, vel composita & duplicia (balneum mariæ vulgò dicta) qualia ad olea etiam calida, & alia permulta Galenus commendat. Quæ tamen hodie ob auaritiā, negligentiā, malignitatem non vsurpantur. Fiant igitur vasa sibi incumbentia, sed interuallo vbique digiti vnius dissita, quod aquā conti-

neat sæpe sufficiendam, nisi mauis vas minus quod medicamentum coquendum continet, in maius aqua feruenti plenum, & igni contiguum immittere, Galeni more. In vase lapideo, id est silicco, vt vocamus, coquitur miua simplex, & citra condita Mesuæ. Eidem vase duplici coquuntur, oleum rosatum, violatum, nymphæatum, melinũ, papaueris, myrteum, ex pomis mandragoræ, & anethinum, chamæmelinum, sicyonium, irinum, rutaceum, nardinũ, mastichinnm. Sícq; reliqua coquenda putem, quod oleum simplici vase coctum assequitur odorem tetrum & ingratum, vt interim vires frigidas frangi, calidas intendi taceam, diacodium in duplici vase coquit Heras igni fumi experti.

Crustum ex maza vel luto circũdatum scillę vel scammonio, & aliis eius generis vasis locum obtinet, vti crustum idem & malum acerbum aliquod vel cydonium ipsi scammonio est tanquam vas duplex.

Finis coctionis est, cùm scopum nobis propositum attigimus, vel simplicem, vel etiam multiplicem, vt si medicamentum coquimus ad vires eius augẽdas, vel minuendas, vel abigendas, dum quãtum satis est auximus, minuimus, abegimus, satis coximus. eodem modo in scopis aliis.

Sic

Sic quædam coquemus ad dimidias, tertias, quartas, librarum duarum, trium cõsumptionem, dum omnia sunt propè vnita ad iustam crassitudinem, aut mellis sordium, cerati liquidi, emplastri consistentiam. Sapas coquendo siccamus, donec crassam assecutæ sint consistentiã, vt seruari possint: sic & syrupos, eclegmata, electaria, vnguẽta, cerata, emplastra. De quibus singulis accuratius in modo singula hæc genera componendi, libro 3. dicetur.

Diamorum cum melle coquimus donec gratum erit, & absumpta humiditate excremẽtosa seruoris & putredinis effectrice seruari annũ vnum possit: id quod mel citra idoneam coctionem succo mororum præstare non potest, licet fructus integros cum pediculo certis interuallis ne se tangant, in se mersos loco frigido integros in annum seruet.

Gal. Mes.

Testiculi ad Elect. diasatyrion.

Capita papaueris ad diacodium, capita ranarum ad oleum ranarum, vulpes ad vulpinum, viperæ ad pastillos theriacos & oleum viperinum coquuntur, donec ipsa coquẽdo in aqua intabuerint: stomatica & stomachica coques ad mellis, aut sordium crassitudinem.

Electaria mollia ad similem consistentiam

tiam, ſolida verò coctum magis ſaccharum requirunt:

Syrupos cum ſaccharo, aut melle, aut vtroque coquimus, donec lentore tenaci & craſſo inter extremos digitos explorato humorem excrementoſum propè conſumptum coniectabis.

Cocti ſint ſyrupi quando incipiunt filum facere, ſiue cochleari effundãtur paulatim, ſiue inter dignos eius portio tractetur. Vel quãdo marmori, aut vngui impoſita eorum gutta non diffunditur, nec aquæ modo diffluit, ſed concreta manet.

Quæ plena ſunt meliora, coctione deteriora euadũt: vt caſſia nigra, thamar Indi. Meſues mannam, thamar Indos, medullam caſſiæ in ſuccis quibuſdã depuratis diſſolutã coquit cum aliis ſemicoctis ad mellis ſpiſſitudinem in diamãna, & in tryphera Perſica, & in cõpoſitione alkekẽgi. In cõfectione hamech eadẽ tria in infuſione colata diſſoluit, fricat manibus, colat, cum ſaccharo coquit ad mellis ſpiſſitudinẽ. In confectione mãnæ Galeno tributa, mannã ſucco roſarum ſufficiẽti coquit igni blando ad ſufficientem coctionem, teromatum in aqua roſarũ, & cõpoſitione ſequenti, coquit eandem cum ſaccharo ad mellis conſiſtentiam.

Emp

Emplastra coquimus, dum manus attactu non inquinant adhæsu tenaci.

Coctū mel cum aqua, vino, aliis, in antidotos, & alia composita, tunc est quando marmori propemodum nihil adhęret.

Coctionis & trituræ ratio propè est eadem in medicamentis, vt scilicet quantam hæc trituram viribus integris ferunt, tantam quoq; & coctionem. Quæ enim magna, crassa, lenta, sicca, dura, densa, neruosa, membranosa, virtutem firmā; & valenter ac penitus mistam fortita longiorem sustinēt coctionem, ob id prima vasi coquenda immittuntur: qualia sunt metallica, terrea, styptica, quatenus styptica sunt (rosæ enim, absinthium, rha barbarum, aloë, myrobalani, agaricus, amaram quoque qualitatem in superficie habent, & eam purgatoriam, ac facilè resolubilem, ob id minus coquenda quàm styptica substantia postulat) radices ob id propè omnes, quia terreæ magis: incisæ aut confractæ, vt aristolochia, cucumer agrestis, hermodactylus, polypodium, & cętera, etiam post coctionem terendæ, vt prōptius cribrentur in diasatyrio, Mes.

Sic rha barbarū quando astringere cōsiliū est, ac myrobalanos omnes diu coqui oportet: si verò purgare, tergere, aperire

rire, parũ coquẽda, aut potius infundẽda.

Mes. Glycyrrhiza tamẽ parum diu coquẽda, opinor, ne cùm admodum sit dulcis, coctione longa, dulcium cęterorũ modo, amara euadat: præsertim cùm iam vetustate amaricat, cùm verò recẽs est humiditatem excremẽtosam nacta, cum aliis radicibus initio coquitur, vt in syr. hyssopi, ziziphorũ, glycyrrhizæ, & thoracicis aliis.

Acria quoque diu coqui possunt si eorum acrimoniam obtundi volumus, nisi virtutem imbecillem, & facilè resolubilem sint sortita.

Mes. Colocynthis, cẽtaurium paruũ cũ floribus & semine, plenã coctionem tolerant.

Quæ cõtrà sunt minuta, tenuia, fluxilia & friabilia, humida, mollia, rara, virtutem imbecillam, superficiariam, malè permistam sortita, parũ diu coquẽda sunt, ob id postrema sunt percoctis propè aliis iniiciẽda, qualia sunt rosæ & violæ recentes. Siccæ enim & harum succus magis coqui possunt. Gingidiũ elixationem diuturnã non sustinet Gal. lib. 2. alimentorum.

Bulbi exigua admodum elixatione sunt contenti: Daucus autem ad esum diutius elixandus quàm pastinaca.

Paulus lib. 7. c. 20. Nullus florum coctionem recipit, ob id olea cum floribus facienda insolantur.

Si

Si autem flores valida sint odoris gratia, vt rosa, chamæmelum, quæ pluribus diebus constet, insolatu tenuius, & vtilius oleum euadit. Qui verò flores sunt inualidiores, & facilius difflantur, minus diu insolantur, quia eorum virtus promptè vanescit, vt lilium, violæ.

Parum diu integris viribus coqui possunt epithymum, flores stœchados Arabicæ, diutius folia. *Mes.*

Quæ verò has qualitates adhuc insigniores habent, coctionem nullam sustinent: sed sublatis ab igne aliis miscentur, vel adhuc calentibus, quando firmiora sunt: vel iam refrigeratis plurimum, quãdo ne vis eius tenuis & lubrica calore soluta in aërem exhalet metuitur.

Quæ purgant lubricando coctione nõ admodum iuuantur, Mesuæ: tamen cassia, manna, thamar Indi interdum ab eo coquuntur, sed parum, nec adeò, vt vis eorum lubrica perdatur. *Mes.*

Quæ in horum sunt medio coctionem tolerant mediocrem, vt absinthium, asarum, agaricus, coccum gn dium, fumaria, senna, scilla, iris, hyssopus, thymus, turbith, semina omnia prçterquam cucumeris, cucurbitæ, melonis, citreoli.

Rha barbarum exquisitũ multam satis coctio *Mes.*

coctionem & trituram sustinet, raro autem & laxo etiam mediocris coctio est vehemens, & eius virtutem resoluit.

Ibidem Thamar Indi coctionem ferunt medio crē: multa enim vires eis omnes adimit. Ob id ipsi & cassia liquore idoneo soluta, colata melli aut saccharo ad humoris cōsumptionem cocto adduntur, & ad iustā consistentiam percoquūtur, igni ablatis, & parum refrigeratis pulueres miscentur.

Coquendæ igitur in plantis radices primæ, vt dixi, concisæ, vel cōfractæ, quibus coqui cœptis semina sunt iniicienda, exceptis seminibus cucumeris, cucurbitæ, melonum, citreoli, substantiam tenuiorem vreticā sortitis tunc etiam cortices & ligna modicè confracta. Post hæc herbæ siccæ parum concisæ, aut si crassiores sunt, confractæ, deinde virentes, incisæ minutim, aut manibus torquendo confractæ, excepto omni adianto, & lactuca agresti, quam endiuiam vocant.

Deinde fructus exossati, & semine purgati, excorticati, & (si magni sint) incisi, vt pruna, ficus, myxa, zizypha, vuæ passæ.

Postremi flores, epithymum, stœchas: sed chamæmelum licet tenuis sit essentię, quia tamen fortiter mistam habet facultatem, longulè coqui potest, vt schœnuā-

thos

thos, si haberi potest, heliochrysum, stœchas citrea vulgò dictum.

Succi quoque siccati, liquores, gummi, resinæ, manna, cassia, liquore aliquo soluta, sub finem iniiciuntur. Liquores enim vino vel aceto soluti, colati, cocti, ad humoris additi consumptionem, aliis extra ignem miscentur, rudicula semper moti.

Moschus, ambra, caphura, lapides precioſi, pulueres aromatici, & cordiales ab igne depositis, aliis etiam tepentibus iniiciuntur.

Rosæ autem, rha barbarum, aloë, agaricus, myrobalani, si purgatoriũ vis medicamentum, parum diu, vt dixi coquenda. Nam vim eorum purgatricem superficiariam, parũ firmiter mistam ab his corporibus raris coctio multa facilè dissipat. Si verò astrictorium vis medicamentũ, diu coquenda, vt dissipata vi purgatrice, terrea & astringens tandem foras eliciatur.

Violæ etiam parum coquendæ, quando purgare lubricando consilium est: si attrahendo, multũ, vt facultas ea in ipsarum ceu centro posita foras trahatur, coctionis vehementia. Mes.

Scammonium si in pomo est præcoctum, absoluta coctione iniicitur: si crudum est, crassius tritum miscetur in me-

dia coctione. non autem tenuius, ne etiam vis eius purgatrix exhalet, id quod & accidit coctione vel vnica, sed longa, vel duplici, vel si medicamentum diu ante vsum seruandum est, vel si accuratius ante coctionem teratur.

Scammonium autem si calorem sentit, in grumos coagulatur: qua re fit vt interdum, in vna dosi alicuius medicamenti plurimum sit scammonium, in alia minimum: sicque inæquale est medicamentum, ob id ad finem iniicitur.

Quod autem trituræ similem esse viribus coctionem dixi, rectè accipiendum. Calor enim ab igne vehementior, & tenuior, quàm ex attritu pistilli, mortarij, durorum terendorum: ob id etiam medicamentorum vires citius dissipat coctio, quàm tritura.

Quapropter aromata terũtur quidem, quanquam minus quàm alia: sed tamen quantum teri est necesse, non coquuntur autem, sed reliquis iam percoctis, & ab igne depositis, vt dixi, miscentur antidotis, vel mollibus, quales veteribus in vsu fuerunt, vel siccis & solidis nobis vsu frequentissimis, vt cinamomũ, agallochum. Sic aurum & argentum bonum & foliatum, quanquam diu coqui sustinet, vires tamen

tamẽ nullas coctũ tradit maiores quàm crudum. sic margaritæ, cyanus præparatus, ambra, moschus non coquenda.

Coctio facta ad dimidias, tertias, quartas, vel aliam consumptionem, postea residendo, & albuminibus sępe purgatur & colatur, deinde percoquitur, quod in syrupis frequẽter obseruabis. Multis etiam coctio duplex debetur, vt vtrique antidoto, alcanzi, catholico, diasatyrio vtrique.

Ad coctionem multis sæpe aliis medicamenta paramus. Quædam ante intus & foris purgamus, terimus, lauamus, assamus, vrimus, infundimus.

Quædam aliis iuncta illorum coctionem accelerant, sic vrticæ, radices carnibus incoctæ eas coqui celerius iuuant: vt contra nymphææ radix incocta pisis, ea ad vnum olla velut eiaculatur.

Ichtyocolla cum calce viua cito cocta mox dissoluitur. sed vide an affectus calcis viuæ vires requirat.

DE DESPVMATIONE.

DEspumatio est spumæ detractio, cuius materia hoc loco est non solùm succus quidam lentus includens flatum, vt Galeno in Aphorismis docetur, sed sordes omnis leuior à calore ignis expurgata, vel etiam grauior albuminibus

coacta & colligata. Despumamus autem nũc simplicia, vt succos, saccharum, mel: nunc composita, vt apozemata, syrupos.

Mel cũ aqua, aut vino, aut aceto, aut humore alio pro variis medici scopis despumatur. Nam per se coctũ mox immodicè efferuescit, & derepẽte exundat, & flãmis cõceptis incendij periculũ affert. Adhæc cũ sit dulcissimũ, euaderet amarum, si per se coqueretur donec despumatum esset.

Mel aqua dupla despumatur, si alius humor nõ exprimitur.

Mel humore æquali hodie quibusdam despumatur, aliis duplo. Spuma autẽ interea dum igni lẽto coquitur, cochleari pertuso deraditur. Adhæc cũ ad dimidias est coctũ, & multum feruet, adduntur albumina singulis libris singula. Deinde calidũ colatur, post percoquitur per se, aut cũ condiendis & incoquẽdis medicamẽtis. spuma quoq; tunc sicca emicat curio se detracta, si per se seruãdum est. Vel in rem præsentẽ paratur ad pulueres cõpræhendendos, qualia sunt antidota omnia melle excepta, opiata & sine opio. Si purius est mel, sufficit aqua æqualis, nec tantum albuminis requiritur: quod si purissimũ est, nec despumandũ, nec clarificãdũ.

Sed huius regionis mel cũ sit crudum & impurum, multam reddit spumam, ita vt despumando & colando ad dimidias minuatur.

minuatur. Quapropter pondus duplum ei quod cõpoſitio exigit initio tibi immittendum, ſi cum aliis deſpumandũ incoquis: ſin minus, deſpumato vtendũ. Finis deſpumationis quibuſdã eſt tempus horarũ circiter duarũ cũ igni lento. Aliis rectius cũ ſpumare deſinit, aliis donec aqua erit cõſumpta (quæ res bullis cognoſcitur) & mel idoneũ lẽtorẽ acquiſiuerit.

Non autẽ probo cum Seruitore mellis libram vnã coqui in aquæ libris decem, continenter deſpumãdo, & aqua hac propè conſumpta libras alias quinq; addi, & his propè conſumptis alias quinq;. Hoc enim modo mel aut vri, aut totũ vaneſcere eſt neceſſe, etiam ſi aqua adſit largior.

Sæpe autem mel per ſe deſpumatur & purgatur, cum tam longam non ſuſtinet coctionẽ quàm aliorũ natura, cum quibus mel coquendo deſpumaretur. Interdum cum his deſpumatur, cum ſ. multam coctionẽ viribus integris ſuſtinere poſſunt, vt in diacydonio mel coquitur cum ſucco cydoniorũ, & coquendo frequenter deſpumatur, & aliis paſſim. Frequẽtius tamẽ per ſe (vt dixi) deſpumatũ miſcetur conditionis, ſyrupis, antidotis: rarius crudum, prę ſertim noſtrâs. Quod autem album Gallia Narbonenſis thymo paſſim

luxurians mittit, est præstantissimum: nec Attico aut Hyblæo inferius, cùm regionis temperatura & thymi larga luxuries vtrobique consentiant.

De saccharo idem quod de melle dicendum, cum sit ipsum mellis species etiam Dioscoridi & Galeno.

Impurum enim & nigrum, aut nigricans in triplo humore despumatur. cum ad dimidias est coctum & valde feruet, adduntur albumina singulis libris singula, colatur calidum, post percoquitur studiose: interim etiam despumando si spuma aliqua appareat.

Si autem purius est, satis est dupla aut æqualis (vt ferè fit) aqua, & pauciora albumina. si purissimum nec despumandum, nec clarificandum.

Succi fluxiles recipiendi in syrupos, apozemata, electaria. quædam igni despumantur, residendo clarescunt, & in colo laneo terreum excrementũ relinquũt, interim verò etiã additis albuminibus, & melle aut saccharo purgantur, quoties in syrupos, vel apozemata coquuntur, vt in syr. bizantino, & aliis, & in elec. psyllij. Qui verò succi in emplastra recipiuntur, vel sole, vel igni post mistionem siccantur, non despumantur.

Liquores

Liquores verò ſolum colo purgantur poſt diſſolutionem, nõ etiam deſpumantur, tantum abeſt, vt clarificẽtur. Idem de metallicis & animaliũ partibus cõſtitue.

Quod ſi ſimplicia omnia ſunt pura aut purgata, ſatis eſt horum decocta per colum laneum aut telalaneum: ſed modicè denſum ſemel aut bis trãſmittere ſine vlla expreſſione, colo, ſi opus eſt, mutato, deinde ipſum immitte in ſaccharum, ſi impurum erat clarificatum. Si autem purum eſt, clarificatione non egetur, & percoque donec humoris, ſeu decoctum eſt, ſeu ſuccus, ſeu aliud, vnciæ tantum circiter duę: aut ſi ſucci ſunt glutinoſi, etiã tres & quatuor in ſacchari libra ſuperſint. Si ſucci acidi, percocto iã ſaccharo, ppè toti inuoluũtur, vt dicemus initio ſyruporũ.

DE CLARIFICATIONE.

CLarificationis obiter in deſpumatione memini. De ipſa autem nunc pauca mihi ſunt dicenda, quòd hæc rerum liquidarum decoctis debeatur expurgandis, vti & deſpumatio & colatio, vt ſorde craſſiori purgata, ſint gratiora palato, & in corpus facilius diſtribuantur & ſalubrius. Clarificantur autem quædam per ſe, dum quod fœculentum eſt ſubſidet: vt ſuccus roſarum, limonum, cydonio-

rum, citrorum, ribes, oxyacanthæ, granatorum, siue mox reponãtur loco frigido, siue in officina aliquandiu seruẽtur. Quędam interueniente coctione à sole, vel igni, vt succus pomorum dulcium & acidorũ ad dimidias coctus dies duos quiescere permittitur, donec clarescat, vt syrupus de pomis Mesuæ fiat. sic succus acidus citri ad partis tertię consumptionem coctus & colatus quiescere permittitur, donec clarescat, & succus granatorũ ad partis tertiæ consumptionem coctus, biduum quiescere sinitur, vsque dum clarescat in syrupo ex succis fructuum acidorum. Tamen acidi succi hodie in syrupos aliter, vt dixi, & in syrupis dicturus sum, recipiuntur. In his autem coctio ratione optima adhibetur, vt calor homogenea in vnum cogat, & separet heterogenea: quomodo vrinæ in nobis cœptæ coqui turbidæ si reddantur, postea tenuantur, & clarescunt, subsidente crasso.

Cum verò calor ignis sordes in succis exquisitè separare non possit, vt noster calor natiuus aliena coctione perfecta segregat, cúmque metuimus ne coctione tam longa succorum facultates corrumpantur, Satius putauerũt medici cœptam ab igni sordium secretionem arte alia iuuare,

iuuare,& ea multiplici,nunc quiete ſucci poſt coctionem,vt nuper dixi, nunc aceto ſimul incocto, nunc agitatis diu albuminibus: vt interim deſpumationem omittam & colationem à nobis adhiberi ſolitas ad perfectionem ſuccorum, vel decoctorum purgationem.

De ea autem clarificatione,quę fit per ſe,& poſt coctionem reſidente, ſatis eſt dictum.de ea quæ fit per acetum & albumina iam nobis dicendum eſt.

Decocta & ſyrupi,ſi acetum recipiant per ſe, vi aceti nonnihil purgantur: melius autem ſi etiam albumina accedant, etiam ſi poſt colaturam acetum recipiãt: quando nihilominus continenter eſt deſpumamdum,quòd acetum etiam ex purgato iam decocto ſpumas & ſpurcitiam quandam iaculetur.

Oui albumen ex aqua frigida ſcopulis agita,donec in ſpumam abeat, quam particulatim ſyrupo,vel alteri decocto feruẽti inſpergas,& vbi nigruerit,cochleari foraminulento deradas, nouam inſpergas: id fac donec erit ſyrupus clarior.Alij vbi ex bullis clarius decoctũ vi ignis factum animaduertunt,in id tepidum(nam calidius albumen coqueret,in frigidiore minus promptè & parcior ſpuma elicitur)

Nicolaus in ſyr.roſato.

albumina singulis libris singula, sed etiam pluribus pauciora iniiciunt, scopulis agitant, vt spumescat, saccharũ in particulas confractũ coniiciunt, recoquunt: vbi spuma subsedit, igni aufertur, calidũ, si crassum est & vix colabile, colatur: si facilè colatur, sed turbidum, tepidum vel frigidum colatur per manicã Hippocratis, melius autem per pannum clauis quatuor, angulis quatuor firmatum. Colatur autem ter, quater, si non satis claruerit: sine sic quidẽ albumen seperatim in aqua agitatum, scopulis inspergitur decocto igni reddito, spuma illa vsta, alia iniicitur, idque toties donec bullæ clarũ satis produnt. Tunc colatur quoties est necesse.

Cribrationi colatio, vt ante dixi, est persimilis: sed illa ferè siccorum est, hæc humidorum. Illa corpora grãdiora foraminibus cribrorum non transmittit, hæc sordem humore crassiorẽ transitu prohibet.

Eius differẽtiæ ex eo sumuntur, quòd quædam calidissima colantur, quædam frigida, quædam tepida. Item quòd quædam vno, alia duobus, alia tribus colis egent. Item quędã colis lineis, alia cannabinis, alia telalaneis, alia setaceis & staminеis, vt vocant, alia nouis, alia detritis, alia raris, alia densis: alia bis, ter colanda donec

donec nobis propositam perspicuitatem sint assequuta, vt in syrupis, ex succis fructuum & herbarum, & ex decoctis leges.

Quæ crassa sunt aut lenta calidissima sunt colanda, & humore ampliore vel tũ diluenda sunt, vel initio coquenda, vt facilius transmeẽt. Colo eadem raro & detrito promptius colantur, non tamen purius, sed frequens colatio coli densitatem supplet, ac raritatis incõmodum redimit.

Oenomeli colatur panno raro.

Tenuia vt succus limonum, citri, semifrigida, colo dẽso, & nouo colari possunt: aut si tribus colis ea vis purgare, summũ sit stamineum, medium panneum: sed vetus infimum, panneum & nouum, vel aliter densum.

Sacchari libra si aquæ tantum vnciis octo sit soluta, cocta, clarificata, panno rariore colanda est.

Colis tribus vsi sunt maiores nostri, summo, minimo, & rarissimo: infimo, maximo & densissimo, tertio horum medio magnitudine, raritate, situ, vt tamen ab vtroque digitorum 4. interuallo distaret.

Magnitudinis autem & texturę horum ratio erat, vt primum sordes tantum crassas transitu prohiberet, secundum etiam mediocres, tertium etiam tenuissimas, vt scilicet,

ſcilicet quod ad hoc tranſmittebatur eſſe illime,& ſordis omnis expers.Si verò ſolo raro vſi fuiſſent,colata fuiſſent impura & nõ colatis ſimilia,vt ſi per linteum colas aliquod decoctum:ſi ſolo denſo , id à craſſis ſordibus ſtatim obſtructum aliis viam negaſſet,ob id vel mutandum , vel ſæpe abluendum fuiſſet. Quod ſi vnico voluiſſent vti medio, rationabilius & facilius vſi fuiſſent.Minimũ verò primùm, quia in eo humor incipit latius ſpargi verſus panni ambitum,vt vides non in laneis tantum,ſed etiam lineis.Gutta enim medio infuſa ſe in vicina ſpargit.

Ex omnibus autem partibus quas imbuit,defluit,ita vt in ſecundum influat latius,q̃ in primo humor cõtẽtus cernitur. Secundũ item latius imbuitur, q̃ quibus partibus humorẽ à primo excipit,&pluribus partibus ſtillat in infimũ quàm ſit cõtactum à defluente ex primo humore.

Malè igitur primum ſtatuas maximũ, quanquam ex hoc nullum ſequetur incõmodum aliud , quàm quòd otioſa eſt hæc capacitas: Satis enim eſt ſi capiendo humori ſit ſatis : quantum intelligi volo dum minimum requiro.Non enim minimum abſolutè volo,ſed aliis duabus anguſtius : ſi verò infimum ſit minimum,

multus

multus humor ab hoc non colatus prope ipsius oras in vas subiectum defluet.

Nunc vnico vtimur colo magnitudine & textura mediocri, sed eius actionem ante iuuamus clarificatione per albumina omnem spurcitiem cogente, adiuuãte id frigido. Quæ enim clariora volumus, frigida colamus: aut si talia non permeãt, tepida. quæ si semel colata non sunt pura satis, iterum & tertiò colamus, & rectius colũ aut lauamus aut mutamus. Id quod etiam facimus dum tardius humor permeat: si autem tardius transfluat ob decocti crassitiem aut lentorem, vel calidius colamus, vel per colum rarius, vel si compositi natura patitur, liquidius aliquid & tenuius miscemus: vt dum cremori hordei colando, aut pisorum, aut fabarum, aut similium decoctum ipsum affundimus. In tarda autem hac colatura, caue, rudicula vel digitis fundum coli scalpas, vt colationem celeres. Sic enim turbidũ erit colatum: sed vt dixi muta colum aut laua, aut humorem redde liquidiorem, vel igni, vel misto humore aliquo.

Colamus quoque etiam citra coctionem quædam, vt lac recens mulctũ, vt pilos & sordes alias foris illapsas separemus, quẽ vsum rusticis, & pastoribus præ-

stat

ſtat interdũ aparine. Sic hodie vinũ cum ſaccharo & cinamomo per cola lanea oblonga pyramidis figura (quę caligas & manicas Hippocratis appellant) colamus ter, quater, donec omnino clarum erit, idque Hippocraticũ quoque vocamus, tãquam inuentore Hippocrate dignum.

Aliter etiam cum melle, & cęteris colamus ad claritatem, & œnomeli id, ac melites vocamus claretum.

Modo perſimili gelatinam quã vocant colamus, vt ante à nobis eſt ſcriptum.

Quædã his citius clarificandis miſcentur, vt ſi vni quartæ vini albi duos lactis digitos miſceas ante colaturam, ipſum mox clariſſimum reddunt.

Aliter quoque res turbidæ colãtur aut miſtæ: ſic in Ægypto aquam Nili turbidã vaſis figulinis crudis colari docet Galen. vt tantum quod clariſſimum eſt per vaſis poros, aut etiam teneram & mollem ſubſtantiam perfluat. Pariſiis autem Sequanæ aquam, & Romę Tyberinam, vaſis figulinis coctis probè & ſiliceis pręſertim, aliquandiu in cella vinaria deponunt, vt refrigeretur, & ſimul reſidendo ſordem terream in fundum deponat.

Aquam quoque turbidam colabis per arenas puras vaſi immiſſas inferne pertuſo,

ſo, foraminibus exiguis aquæ peruiis, inuiis arenæ.

Vinum quoq; aqua miſtum per ciſſimbium, id eſt, vas hederaceum tenue, citò perfluit: aqua autem in eo retinetur, vt ſæpe ſumus experti, ex Catonis doctrina.

DE AROMATIZATIONE.

AROMATIZATIO nobis vocatur conditura quædam, compoſitis ferè ad odoris ſpiritum animalem ſimul & vitalem, & cor ipſum recreantis gratiam, adhibita miſtis rebus aromaticis.

Simplicibus, vt moſcho, ambra, caphura, zingibere, cinamomo, macis, croco, calamo aromatico, ſpica, pipere albo, lõgo, nigro, caryophyllis, maſtiche, xylaloë cortice citri, ſantalis: vel compoſitis, vt Gallia aromatica, Gallia ſebellina.

Meſues aromatizat moſcho diaſatyriũ aqua roſarum ſoluto, & aliis miſto electarium, ſarboteng diaſatyrium, ſecundum aromaticum roſatum ſtomachicum.

Syrupus ex corticibus cytri, cydonia condita. Citra autem condita, moſcho & ambra aromatizat.

Caphura autem ſyrupum acidum de pomis, Trochiſco Galliæ Sebellinæ, moſcho, ambra, caphura.

Hydromeli quidam aromatizant ſpeciebus,

ciebus, vt zingibere, croco, cinamomo, macis, & similibus.

Nodulus ex panno lineo raro continens croci, cinamomi, calami aromatici, spicæ, zingiberis, piperis nigri & longi, ana drachm. 1. & dimidiam syrupo stœchados immittitur, & suspensus manet ad condiendum, seu aromatizandum. sic miua aromatica nodulo aromatum pleno in ipsa suspenso & sæpe confricato, vt ante in confricatione diximus.

Syrupus de mentha aromatizatur Gallia aromatica.

Conditum citri Gallia, moscho, croco, mastiche.

Conditum buglossi, moscho & gallia.

Syrupus ex omphacio, caryophyllis.

Syrupus intybi compositus santalis, cinamomo, xylaloë, cortice citri.

Sic alia multa præter consistentiæ & saporis gratiam, odoris quoque iucunditatem, sed etiam coloris, de quo mox, requirunt. De quibus abundè à nobis scriptum est in methodo medicamenta cõponendi, dum hæc rationem in compositis habere docebamus, interdum sine qua medicamenti actio nõ fiebat, & per quam melius fiebat. Iulepos ex syrupis & aquis destillatis hodie misceri solitos,

apo

apozemata, cinamomo, & santalis aromatizamus, immissis colo horum drach. circiter duabus in humoris libras singulas, aut pluribus, aut paucioribus pro vario medici scopo. Et vinum aromatites, & quod Hippocraticū vocant, & alia multa aromatibus condimus.

DE COLORATIONE.

COLORATIO quoque multis medicamentis acquiritur ad gratiam magis & iucunditatem, & terrorem auferendum, & causas alias, quod etiam lib. 2. methodi medicamenta componendi docuimus. Sinopidem aliqui, alij ochram cerato Galen. dia euphorbiu miscuerunt, vt hoc colore fucatum ceratum, vnde componitur, lateret: misceri potest floris salis aliquid, aut simile quod colorē eius mutet, neque vim eius minuat. *Gal. Lib. 6 metho. Idem Ibid.*

Quę Galeni verba diligenter sunt obseruanda, ne scilicet coloris mutandi ratio vires nouas medicamento acquirat, aut priores augeat, vel diminuat, siue colorem mutare libet noua re mista, vt in oxycroceo: siuevno aliquo simplici aliter atque aliter pręparato, vt ceratum Galen. ex ærugine cruda viride est, ac terrens ægros: ex eadem vsta est melinum, vt Galenus docet lib. 2. c. ph. g.

Sic ex ceruſa cruda emplaſtrum eſt album, ex ochra pallidum, ex iiſdem probè vſtis rubrum.

Solus quoque motus colorem quęſitũ ſæpe medicamento acquirit, vt ex lithargyro nutritum longo piſtilli attritu fit albius.

Penidia quò diutius rudicula, & manibus tractantur eò albiora euadũt, etiam ſi ex vili & impuro ſaccharo fiant: ſic pilulæ albæ, diairis ſimplex, diatragacanthũ frigidum, ſic ſaccharum roſatum, & ſaccharata reliqua.

Mel crudum & coctum in antidotis diu commiſcendo albius euadit, & cætera mellita.

Iulep coctum ad ſuccorum in ſyrupis cõprehenſionem, baculo diu verſandum vt albeſcat, & alia multa ſimili agitatu albeſcunt. fortè quòd aër multus in commiſcendo receptus alborem conciliat.

Sic album Raſis vnguentum & citrinũ, & emplaſtra diachylon, & ceratum Gal. refrigerans album, de ceruſa, gratia dei multum diúque ſubigendo, trahendo albeſcunt, & oxycroceum palleſcit.

Oeſypus quamuis niger eſt, multa agitatione album facit emplaſtrum, vt glutinoſa alia.

DE EXCEPTIONE.

EXCIPIVNTVR & comprehenduntur colligantúrque, seu vt vulgo loquuntur incorporantur medicamenta humore aliquo ad saporis gratiam diuturnitatem, virium conseruationem, fermẽtationem, medicamenti constituendi formam, vsum dexteriorem.

Eclegma ad asthma melle excipitur, vt sit suauius & vsui aptius.

Eclegma amygdalatum excipitur melle, & succo fœniculi.

Electaria propè omnia, præsertim mollia melle excipiuntur ob dictas causas, sicca saccharo humore aliquo soluto, pulueres succo cucumeris agrestis comprehẽduntur in hiera Hermetis.

Pilularum materia excipitur vino, succo absinthij, solani, foliorum citri, brassicæ, apij, intybi: pilulæ aureæ muccagine tragacanthi, cocciæ Rasis & Mesuę succo absinthij.

Pilularum Hermetis species ladano excipiuntur cum pistillo calido.

Trochisci galliæ moschatæ comprehẽduntur muccagine tragacanthi in aqua rosarum soluti, vel ambra oleo balanino oluta.

Mel, quo solutiua excipiuntur, vino

quam aqua potius coquendum & despumandum, nisi aliquid prohibeat.

Exempla alia ipsius, vt sic dicam, incorporationis in electariis Mesuæ, antidotísque aliis & ceratis, & emplastris tam sunt multa, vt nemo desiderare possit. nec plura describere libuit, ne oratione prolixa displicerem.

DE FORMATIONE.

ORDINE rerum gerendarum succedit medicamentorum comprehensioni ipsa eorum formatio cuiq; compositio sua: cum scilicet vnumquodque formam habet idoneam, quæ in quibusdam à consistentia differre non videtur, vt in conditis, sapis, syrupis, eclegmatis, apozematis, antidotis mellitis, pilulis, trochiscis, vnguentis, ceratis, emplastris. Forma ipsius compositi est cõsistentia liquidior, crassior, mediocris. Sed in multis præsertim siccis, præter hanc consistentię formã alia quædam nostris manibus, aut alia re apprimitur, vt saccharum in vasa dum recens coctum est coniectum, illorum formam, pyramidis scilicet ac metæ cuiusdã retinet, & quæ ex saccharo imagines formãtur, aut cera, aut alio dum calet liquido, ob id terminum alienũ facilè induẽte, dum refrigeratũ coiuit duro, ob id formã

tunc

tunc assumptam pertinacius retinente: sic electaria solida & tessellas, nunc rhomboides, nũc quadratas, nunc quadrangulas: sed altera parte longiores, quales manus Christi vulgo dicuntur, nunc triãgulas: sic pilulas fingimus orobeas, id est, magnitudine & figura orobi, vel ciceris, scilicet orobei, nõ arietini quod inæquale cùm sit & acuminatum, figuram habet pilulis ineptam, sic & κόκκια, id est granula seu pilulas paruas (vnde vt dicemus lib. 3. pilulæ coccia Rasi, & vulgo dictæ videntur) granorum scilicet paruorum magnitudine & forma fingit Paulus.

Trochisci quoque complanãtur, & in medio cauantur, & ferè postea sigillo aliquo pressi notãtur. Qua de re mox quoq; dicturi sumus, vnde & à forma hac, vt pilulæ à paruæ pilæ effigie, nomẽ sibi adoptauerunt, & præter id aliæ quoque. nam cyclisci, id est, parui circuli, & artici, id est pastilli, seu parui panes etiam Græcis appellãtur. Sunt enim velut circuli, hoc est, superficies planæ vna circunferentia à centro æqui distante, conclusæ, non autẽ sphærica sunt corpora, vt pilulæ.

Cerata & emplastra formamus in offas, quæ apud Galenum μαγδαλίαι vocantur (vnde vulgo corruptum puto vocabulum

magdaleones)hoc est, cylindraceæ quædam figuræ.

Quædam trahendo manibus ex vnco ferreo producuntur, intorquentur, & in quamlibet figuram mutantur, vt penidia, & quæ alpheni vocant.

Qualiter quibusdam quoque trahũtur emplastra, diachylon, gratia dei, sed pòst in magdalias componuntur.

DE SIGILLATIONE.

SIGILLATIO quoq; (vt vocant) seu sigilli alicuius impressio, inter prę parationis differentias numeranda est. Quæ quãuis haud ita magnarum virium esse videatur, vt cùm ex pilulari forma per sigillum ligneum fingis trochiscos, tamen & per se veteribus magni momenti fuit, & per accidens sigillatio. Per se quidem, cum terram Lẽniam sigillo Dianæ imaginem habenti notabant, à qua facultatẽ aliquã his trochiscis imprimi putabant, vti & Nichepsos rex anulis insertũ iaspidem viridem draconis radios habentis imagine scalpi volebat, quod tamen ceu vanum reiiciẽdum censet Gal. Quanquã & illa Dianę imago in sphragide lemnia, hoc est in sigillo, seu sigillata terra Lemni insulæ, etiam per accidens proderat, quòd pastilli hac notati planè veri significa

caban

cabantur, non quo hodie modo omnes adulterinæ noſtrates terræ ſigillatæ. Iidē ad me Conſtantinopoli ſunt delati, characteribus variis à Turca obſignati.

In paſtillis quoque Theriacis, & medicamentis omnibus, quæ ab exteris corrogamus, vtinam vel characteres aliqui, ſed certi fide, vel publica, vel principum apprimerentur, quòd pannis laneis, & ſericis gentes multæ etiam hodie factitant. Non enim toties grandi pecunia adulterata & ſpuria pro veris reciperemus, aut ſaltem qui vendunt primis inſtitoribus, & hi deinde aliis chirographo, aut ſacramento aliquo cuiq; verendo vera ſe vendere affirmarent, ſed noſtra opinor ſocordia illos efficit audenter furaces. Cùm enim vera ignoremus, neque illa nouiſſe multum hactenus ſit à noſtris pharmacopolis laboratum, facilè illis imponitur. Incumbite igitur, incumbite modis omnibus, vt vera deinceps habeantur. Homini elephantico dedi, nō multis antè menſibus trochiſcorum theriacorum libras propè duas, quibus non eſt mutatus magis quàm ſi terram ſigillatam noſtratem deuoraſſet: tamē qui vendidit affirmabat è monte Peſſulano allatos & veros. Quod tamen falſum illi ex Galeno

probaui, tamen quia egebatur, & veros affirmabat, grandi pecunia emimus, nullo tamen, vt dixi, succeſſu. Quæ fraus in cæteris quoque medicamentis, niſi diligenter cauetur, latè patet, magna animad ſione coërcenda.

DE REPOSITIONE.

REpoſitio medicamentorum tam ſimplicium quàm compoſitorum in locum aliquem, tum communem, tum proprium ad conſeruationem (de qua mox dicam) magni eſt momenti, & item quòd quædam per ſe reponuntur, alia cum aliis ipſorum virtutem conſeruantibus, vel etiam augentibus, aut ſaltem quàm minimum fieri poteſt minui permittentibus. De hac generatim quędam diximus libro tertio methodi medicamenta componendi, ſed hic paulò fuſius dicendum.

Reponimus quæ ſeruari volumus, conſeruationem verò nihil tam variat quàm putrefactio: quam ambiens calor, aut frigus, aut aër corruptior, aut excrementoſa rei ſeruandæ humiditas, & calor imbecillus accerſere ſolet. Ob id quæ integra diu ſeruari volumus, omnino ſiccamus, tum abſumpta ipſorum ſuperflua humiditate, tum miſtis ſiccantibus: ſæpe etiam aſtringentibus: ſic condita, ſapas, ſyrupos, antidota

dota ex humidis præsertim temperata, pilulas, trochiscos, & vnguenta quædam, & cerata, & emplastra igni, vel sole siccamus, misto his quæ sumuntur etiam melle, aut saccharo, aut vtroque remedio siccante: aliquibus, & acetum, & sal prosunt, aliis metallica, & terrea ob siccitatem putredini diu resistentia.

Ergo quæ reponenda sunt simplicia, & composita omnino quãtum opus est sint sicca: sic & vinum feruendo in lacu, aut dolio humiditatem corruptionis sui, & feruoris ardorem si validum est, nec ea tam multa consumit. calorem externum vitamus fuga solis, & res ipsas in lòca minus calida, aut etiam frigida seponendo. Frigus immodicum & gelu ab his tantùm prohibemus, quæ humida cogi possunt, vt aquis distillatis.

Calorem internum imbecillum fouemus, prohibita eius exhalatione. ob id quæ seruamus omnia loculis clausis, & vasis obturatis reponimus, nisi valentissima sint: theriaces enim vas sæpe detegi vult Gal. vt expiret. Ad hæc rha barbarum, vt viribus integris diutius seruetur, vel cera sola, vel cera cum terebinthina, aut melle albo circunlinit. Mel, vel psyllio, aut milio mergit. Agaricum idem cum zingibe-

re, dauco, liguſtico, polypodio querno ſeruat, vt eius actio vegetior reddatur. Aloë ſeruatur cum aromatibus aut bdellio, & alia ſimiliter in Meſuæ ſimplicibus.

Caſſia verò in fiſtula ſua felicius ſeruatur, nec purgãda ante vtendi tempus. Fiſtula autem in ſabulo cellis vinariis infoſſa, ſiccari præpropere prohibetur.

Colocynthis integra diutius ſeruatur quàm emedullata, & melior ac ſalubrior euadit cum maſtiche, galanga, & aliis ſtomachicis, hepaticis, cardiacis.

Phialæ ſucco roſarum, granatorum, limonum, cydoniorũ, & ſimilibus ſeruãdo deſtinatæ habeant in fundo emiſſarium, ne inuertendo fuga olei ſuperfuſi ſuccus turbetur, & fex cum tenui miſceatur, & ſic turbidum pro puro ſuccum vſurpes.

Cruſta quæ melli & medicamẽtis quibuſdam tempore accreſcit, integra & immota ſeruanda eſt, ſi vis pharmacum diu manere integrum & immutatum. Gal. lib. 2. alimentorum. Quæ prouidentia ſuccis prædictis, vino quoq; & cæteris eſt communis. Diabeſaſa ſtanneo vaſe reponi vult Heras lib. 8. comp. ph. p. Gal.

Medicamentum ſtomachicũ vaſe corneo reponitur, eodem libro.

Terebinthina vaſe ex ferro albo, aut vitreo

treo, aut siliceo seruatur melius quàm ligneo, aut terreo, nisi sit vitreatum. Vase vitreo, vel plumbeo hieram reponit Paulus.

Theriacen vase non ligneo, vt hodie fit, sed pretioso reponit Galenus.

Oleum vasi siliceo, lapideo, plumbeo in cella vinaria probè diu seruatur.

Pulueres cardiaci vase vitreo stricti oris operculato reponuntur.

Flores & omnia iucundum odorem reddentia arculis tiliaceis.

Semina etiam chartarum inuolucris, & suis folliculis vtilius, & innocētius interdum seruantur. Liquida medicamenta seruantur, densiore materia, vt argentea, vitrea, cornea. Fictili etiam, modò nō rara: interdum & lignea, præsertim buxea. Ocularia medicamenta, & alia quæ acetum, picem liquidam, cedriam recipiunt, æneo vase seruanda. Adipem & medullas vasis stanneis, seu ex plumbo albo recondе, hæc Dioscor. Herbæ igitur siccentur, & fasciculis aut manipulis colligatæ.

Quæ componendo cocta, aut aliter calfacta sunt, nō nisi refrigerata sunt reponenda.

Diacodium refrigeratum reponit Damocrates, apud Gal. lib. 7. c. ph. p. & similiter composita propè omnia Mesues.

Loco

Loco non vliginoso & madente reponantur medicamenta, exceptis paucis, sed ædium parte sicciore. Quæ reponuntur, si præterea feruere debent, vas nõ repleãt, vt sit locus & spacium quo perspirent: sic vina doliis non plenis reponũtur primò: sic conseruæ insolatu coquendæ, vasis non plenis coquuntur: sic theriacen vasis non plenis reponit Galenus, quo tempore adhuc à suo calore coquitur & feruet.

DE CONSERVATIONE.

HÆc de repositione sufficiant, in quibus tamen ob rei affinitatem conseruationis quoq; obiter coacti meminimus, sub qua & medicamẽtorum simplicium & compositorũ durationis tempus comprehendimus. Vt enim nõ minor est virtus quàm quærere, parta tueri, sic non satis est medicamenta probè delecta esse, sed ad conseruationem cõmodè reposita esse, & quãdiu integra cõseruari possunt, sciendum est. Nam si mors etiã saxis numinibúsque venit, omnia tam simplicia quàm composita aliquando corrumpuntur, hæc citius, illa tardius: ídq; vel ob peculiarem cuiusq; naturam, vel aëris constitutionem, vel repositionis differẽtiam.

Herbæ quotannis sunt mutandæ, & flores, & quæ ex his distillantur aquæ præsertim

sertim quæ vase duplici, aut vapore aquæ feruentis distillantur. Humidiores enim sunt quàm quæ ignis flamma, & carbone, etiam per cinerem, scorię ferri puluerem, sabulum distillantur.

Aqua tamen vini quæ frequẽti distillatione est purgata, diutius seruatur vase vitreo cera obturato. Seruantur autem herbæ siccatæ sacculis cannabinis rarè textis ne putreant, néve puluerulentæ euadant.

Radices multæ diutius seruari possunt, vt in delectu diximus lib. 1. vbi & de reliquorum quoq; duratione quantum sufficit, scripsimus. seruantur siccatæ per se aut conditura ex saccharo, aut melle per se suspensæ in aëre libero si magnæ sint, in sacculis cannabinis si paruæ, fructus in melle conditi sic, vt se non tangant, & loco frigido repositi annum seruantur recentibus simillimi.

Iidem & flores vasi inclusi aqua fluente tecti annũ seruantur. Vinum musteum dolio picato impositum, & eodem bene operculato sepultum dies quadraginta aqua fluente, vel aliter pura, annum totum dulce permanet Catoni. Iidem cera inuoluti, farragini impositi, aut furfuri, diu seruantur recentibus similes.

Herbarũ quoq; folia citra siccationem sibi

sibi similima diu seruantur inter papyri folia: sic tamen vt non premantur præsertim quæ succulenta sunt. Nam hæc mox mucida & putria euadunt si premantur.

Aloë etiã solario appensa tres, quatuor annos viua, & germinans seruatur, & aizoon, & telephium ob succi crassi copiã.

Quin & cæpe, allij, scillæ, ari, dracontij, cotyledonis, satyrij, & aliorum quorundam radix bulbosa succo crasso lẽto plena diu seruatur citra vllam à nobis, aut aliundè siccationem manifestam.

Metallica & lapides vbilibet probè seruantur, si sordes & puluerem vitabis.

Cõposita autẽ medicamenta nobis hodie variè seruãtur: nam condita humida, eclegmata, syrupi, electaria mollia, vase vitreo, vel siliceo, vel terra dẽsiore potius quàm stãneo plumbi vitium retinẽte seruãda. Electaria autẽ sicca arculis faginis, aut pixidibus vitreis, vt pulueres & trochisci. Catapotia aũt ferè aluta inuoluta, pyxide stãnea includũtur. Olea, vnguẽta, cerata liqda vitreis, lapideis, stãneis: emplastra verò in magdalias formata, papyro vndiq; præterquam extremi medio integuntur.

DE CONDITVRA.

DE cõditura nũc dicẽdum, q̃ ea sæpe coctio quædã est (de qua & prẽparation

tionibus aliis ipsam coctionem sequẽtibus abundè diximus)& cõditura cõseruationi non parũ confert. Cõditura fera est radicum,herbarũ,cauliculorum,aut germinum,florum,fructuum, seminũ,interdum & corticũ. Fit item ferè saccharo,vel melle,vel vtroq;, interdũ syrupis,iulepis, sale,aqua salsa,aceto & aliis quæ siccãdo, & humiditatẽ superfluam absumendo, astringendóq; à putredine res vindicant. Cõdiuntur enim prædicta ferè ad cõseruationem tutiorem,sæpe tantùm ad saporis gratiã,sæpe ad vtrunq;, vt succus mororũ in diamoro melle cõditur.Possísque cõditura generatim dicta etiam syrupos, & antidota plurima, & pillulas,& trochiscos comprehendere, quòd hæc humore aliquo iucundo cõprehendũtur, vt sint iucũdiora,& facilius sumi possint:sic roscę, violæ,& flores alij melle,aut saccharo cõdiuntur,& fit mel rosatũ,violatũ,vt in cõditis Mesuæ diximus,& lib.3.dicemus.

Conditura fit humore hoc iucundo per totum corpus condiendum insperso, vt dum flores & fructus condimus, & corticem citri,& cucurbitæ,lactucæ,caules,&alia plurima:sic myrobalani recẽtes condiuntur,aut humectatæ prius si erant sicciores,vt docuit in simplicibus & conditis

ditis Mesues, interdum tanquam crusta quadam saccharo integimus magis ad saporis gratiam quàm ad vires, vel augendas, vel conseruandas, vel minuendas: sic semen coriandri, papaueris albi, absinthij marini, anisi, fœniculi, apij, & nucleos persicorum, strobilorum, pistaciorum, amygdalarum dulcium, & si libet amararum saccharo integimus, & cortices aranciorum, cinamomi.

Interdum condimus additis quibusdam medicamentis aromaticis, vt emblicas myrobalanos aromatibus cõdiri Mesues scribit, & alia etiam composita: sed condiri, tunc aromatizari potius significat, quanquam & ad saporis gratiam id etiam fiat, vt in fartura mox dicam.

Condienda si magna sunt, ferè in particulas secãtur, vt condituram promptius vbique sentiant: sic cydonia, sic persica, & radices magnæ sectæ condiuntur.

Tamẽ fistula cassiæ tenera condîtur integra, & nux moschata cum cortice viridi, qualis nostrarum nucum integra conditur, & parua citrea, arantia, melones parui adhuc & teneri.

Quanto autem melle, saccharo, vel alia condiente materia sit opus, & quis modus condiendi, hoc est incrustandi, præsert

præsertim semina, & nucleos, leges lib. 3. sectione prima.

Flores capparis nondum apertos interspersо sale cõdimus: nam si soli reponantur, putrescunt. Eodẽ modo & in eosdem vsus flores genistæ, & his odoratiores sparti flores, quibus tamen pòst acetum affundimus quantũ omnia tegere possit.

DE FARTVRA.

FArtura condituræ quædam differentia est: fit autẽ ferè dum cauitas quçdam manifesta odoramẽtis, vel aliis scopo proposito idoneis impletur: quomodo & coqui pullos, anseres, porcellos, & alia quædam herbis nostratibus aromaticis, & floribus, & lactuca, & appetitis aliis, interdum additis etiam aromatibus farciunt ventrem totum inferiorem, & sæpe etiam spacia inania inter carnem & cutem vi deducta.

Sic elignatæ radices eryngij & sectę loco matricis (cor vocant) caryophyllo, & cinamomo humectatis farciuntur à Mes.

Anserem exenteratum carnibus felis annosi, & herbis neruosis farcimus, vt in de eliquatus adeps sit medicamentosior.

Farcitur pileolus ex bõbace, aut aliud epithema cephalicũ, vel stomachicũ aromatib. & aliis cephalicis, stomachicísq;.

Præterea vt coqui carnes auium torrendas, caryophyllis, & fruſtulis cinamomi configunt ad odoris & ſaporis gratiã: ſic nuces virides maceratas, & coquendo teneras redditas, & radices ſatyrij, ex ſecundo cicerum decocto ad iuſtam teneritudinẽ coctas, caryophyllis, & cinamomi fruſtillis configimus, & cydonia in particulas condienda. Quæ res ad farturam, vel vnà cum fartura ad aromatizationem reduci poteſt.

DE PVTREFACTIONE.

PVtrefactio coctioni ſimillima eſt, præſertim de qua nunc agimus: non enim de abſoluta putrefactione, ſed mutatione aliqua à calore externo, etiam rerum putreſcentium vt fimi corticum facta. Vt oleum in folliculis vlmi inuentũ, phialæ forti impoſitum cum folliculis ſi operculetur, & dies quindecim ſimo equino multum ob putredinem vigentem calenti obruatur: deinde inſoletur, & quod eius clarum ſupernatabit tranſuaſetur, omnium vlcerum remedium eſt præſtantiſſimum.

Sic ex vino facimus acetum tenuius, & acre magis ac mordax. Facimus autẽ vel inſolatu, vel immiſſo aceto valentiſſimo in vinũ, vel foliis, ſurculis & ramentis ſorbi, vel

bi, vel parte acida citri immissa Gal. lib. 2. alimentorum. Sunt qui linguas lampetrę nostratis ea causa immittunt.

Ex maza item fermentum, & ex lacte in primo animalium lacte nutritorum ventriculo corrupto fit coagulum: omnia ob putredinem acria, & caliditatem nouam adepta, amissa autem naturali.

Sic chalciteos partes duas lithargyri, vel cum Dioscoride cadmiæ partē vnam aceto acerrimo soluit Galenus, ac æstate media, seu diebus calidissimis quadraginta in olla noua fimo obruit, vt fiat psoricum. Talis putrefactio in vsu est maximo chymistis.

Sic adeps vetustate putris Galeno expetitur ad emplastrum diachalciteos, & oleum vetus ac ita semiputre, vnde & graueolentiam acquirit: sic vetustate putrefactum caseum decocto pernæ salsæ, coquit Gal. ad tophos.

Quid quod vinū & succi reliqui dum ab humiditate excremētosa feruēt, quodammodo putrent, & flores saccharati, aut melliti dum insolantur, & antidota melle addito cum feruent.

Acopa item ex semine abietis, & floribus populi dum menses plures maceran do perficit Gal. etiā putrefacere videtur. *lib. 4. sanit. tuē da.*

DE FRIXIOME ET *assatione.*

COctioni non modo affines sunt frixio & assatio, sed frequenter etiam, vt in alimentis, coctionis differentiæ: tamen quæ medicamentis adhibentur coquere raro videntur humiditatẽ crudam, aut excremẽtosam, sed magis absumere.

Frixio autem ferè in sartagine fieri intelligitur, quæ à frigendo etiã frixorium dicitur. Hæc autẽ in sartagine parata suæ qualitatis vehementiã deponũt. Gal. lib. 2. alim. in dracontio. Assatio autẽ seu torrefactio super tegulam ignitam fit: vel in clibano, vel in carbonibus ignitis. Hæc quoniã tenui discrimine distant, & ambo à calore fiunt, simul tractanda duximus.

Semen melanthij frigitur Galeno contra catarrhos. semen agni frixum minus tentat caput eidem lib. 2. alim.

Semen lini & nasturtij torrefiunt in eclegmate Phthisicorum, Mesuæ.

Mes. Semen porri & nasturtij in E. nostro.

Ibidẽ. Cuminum pridie aceto maceratum siccatur, & frigitur in vase fictili bene cocto Gal. in diospolitico lib. 4. sanit. tuendæ.

Coriandrũ aceto infusum assatur passim: sic enim calorem eius in superficie vehementem extingui volunt, vt tantum refri-

refrigeret. Granatorum acini assantur in E. altero Mesuæ. & semina vuæ, portulacæ, psyllij, plantaginis, althææ, anisi, marrubij. ad fluorem alui assantur. Gal.

Baccæ myrti, gallæ in quinque aut sex partes confractæ, oleo hora vna infusæ assantur ad capillum fluentem sistẽdum. Sit autem oleum astringens aut succus alius, si magis astringendum.

Myrobalani omnes succis astringentibus variis maceratæ, linteo siccatæ assantur, sed antequam nigrescant, & vrantur eximendæ, ne vires amittant. Si insigniter, scilicet vrentur, vt cinefiant. Nam hæ & rha barbarum, assa coctis, vsta assis magis astringunt Mesuæ.

Balanus myrepsica assando deponit partem humiditatis excrementosę, & partem coquit. ob id assata deiectoria tantum est, non amplius vomitoria.

Auellanę assantur in eclegmate pineo.

Gummi Arabicum, tragacantha, succinum, & gummi alia ad magnitudinem orobi confracta, cum opus est assantur donec albescant.

Amylũ assatur in trochiscis terræ sigillatæ, & trochiscis spodiatis secũdis Mesuę.

Modus autem frigendi & assandi prędicta est huiusmodi. Sartago, vel aliud

vas ferreum vbi admodum calet, ac si opus est candet, ab igni tollitur: in hanc semina, fructus, radices & alia immittuntur, continēter rudicula ferrea versantur, ne vrantur. Sartago, si opus est, his exemptis recalefit, & quantū opus est assantur.

Quæ autem sunt magna, crassa, humida, glutinosa, diutius assanda, contraria minus, vt semen anisi, cymini, nasturtij: Semen verò lini & psyllij, quia humiditatem lentam satis multam sortitum est, paulò diutius assari sustinet.

Possunt quædam etiam in clibano, aut super eius testudinem, aut sub cineribus assari, & ea vel nuda, vel olla noua cōclusa, & si mediocria sunt integra: si magna, confracta, quædam etiam maza intecta clibano assantur.

Scilla per assationē multi fit vsus Dioscoridi, quia per eam vel elixationē, eius vehementia obtunditur Galeno. Quæ enim nō assata sumitur, interaneis maximè noxia est Mesuæ. Illa autem delecta, purgata farina, pinsita, aut (id sordidum videtur Galeno in Theriace) luto, & argilla circundatur in digiti crassitiem, sub cinere calido, vel carbonibus, vel clibano assatur. Sunt qui in olla operculata in furnum demissa assant: sic enim celerius & clemen-

clemẽtius purgat. Sic elleborus albus, & ſcammonium in maza piſta, vel cydonio pręparatur Dioſc. & Gal. vt ipſa & panis, & cydonium moderatius purgent. In vas calefactum quoq;, & ab igni depoſitum opium mox immittunt: vbi eſt liquatum, eximunt priuſquã ſiccetur, & friabile fiat.

Acaciã noſtratem factitiam ſuper prunas ignitas aſſat Bulcaſis in Seruitore. Eſt quãdo vt alimenta ſic medicamẽta ex humore frigũtur: nã caſtaneæ ſine humore: fabæ, piſa, carnes, fungi, cũ humore, vt oleo, butyro. Sic myrobalani, flauç, cepulę nigræ friguntur & fricãtur in oleo violato, aut amygdalarũ dulcium in tryphera Perſica & in ſimplicib. Omnia probè trita frigũtur in omphacio, vel ſucco myrti, & aceto, & ſiccãtur in ſtomachico electario quodam Meſ. Omnia in vino odoro frigãtur, deinde in ſucco cydoniorum in E. noſtro Meſ. Addit in ſequenti, & ferue-fiant, vt intelligere poſſis, hæc frigẽda ſuper ignẽ ſemper mouendo, & confricando: non ſolùm fricanda, cum his humoribus, vt diximus prius in confricatione.

DE VSTIONE.

VStio aſſationi finitima, vt ratione maioris, & minoris tantũ differant:

assata enim largius vrũtur,& infra modũ vsta,tantũ assantur. Vruntur plantarũ partes ac animalium,& animalia tota,metallica item & terrea. Horum autẽ medicamentorum vrendorũ scopi medicis sunt varij. Quædam enim vruntur vt puluerari facilius possint,vt pili,lana succida, sericum,testę ostreorum,buccinorum, purpurarum,vngues asini,cornua caprarum & ceruorum, ossa, coria , & alia quæ ob terrosam , & duram, & crassam corporis consistentiam &cõcretionem densatam, vel ob lentorem immodicum vel humiditatem aliquam puluerari nequeunt.

Alia vt essentiæ crassitiem deponãt, & tenuitatem , aliásque facultates igneum colorẽ sequentes induãt. Id quod quamuis omnibus vstis accidat , non ob id tamen omnia vruntur. Sic metallica omnia & terrea vrendo tenuiora euadunt,&quę acria erant, mitiora fiunt, quæ non acria erant, acrimoniam vrendo assumũt Gal. lib.4.& 9.simp.in chalciti.

Ex quo patet vstione etiam facultates quasdam mitescere, vt ærugo , chalcitis, misy,sori,chalcãthum,melantheria fiunt moderatiora:quasdam acquiri,vt vim tenuandi & ea efficiendi , quæ saporem acrem sequuntur.

Alia

Alia vruntur, vt vis quædã noſtro propoſito aliena, ex profundo in ſuperficiẽ trahatur, poſtea lotione ſeparetur: ſic lapidem phrygium, vſtum lauat Galenus, & lapidem hęmatitem ad oculorũ affectus.

Alia vruntur, vt colorẽ nouum acquirant ægro gratiorem, vel ad diſſimulanda ſimplicia, quibus conſtat medicamentum. ſic ærugo vſta modicè quidem, ruſa facit emplaſtra, immodicè verò, nigra.

Ceruſa trita, rudicula ferrea mota vrendo fit rubra, vt ochra, & auripigmentum. Oſſa & teſtæ vrendo primùm nigricant, deinde albiſſima euadunt.

Quædã vruntur, vt in aliam tranſeant ſpeciem, vt vipera vſta trãſit in ſalem theriacum, ceruſa vſta vt rubeat in ſandyca, thus in fuliginem, ſulfur in oleum, cadmia lapis in cadmiam fornacariam, & pompholygem & ſpodium.

Vrendi modus non eſt omnibus vnus. Quædam enim humore pingui prædita per ſe vruntur, vt pili, lana ſuccida, ſericũ, cornua, vngues, coria, hirũdines, motacilla, galerita, & aliæ quædam auiculæ, cicadę, ſcorpiones, viperę, lepores, & alia quędam pedeſtria. Hæc verò in olla noua operculo foraminulento tecta ſunt vrenda carbonibus vel clibano, præſertim

quæ propè cinefacta diſperire poſſunt. Quæ verò poſt vſtionem integra manẽt, vt oſſa, vngues, cornua, teſtæ oſtreorum, lapides ad gypſum vel calcem coquendam & ſimilia: hæc etiam viuis carbonibus obruta vel ſuperpoſita, aut etiã flammæ luculentæ immiſſa, vri poſſunt: niſi quædam ſint addenda, quę vim eorũ mutent. Tunc enim etiam in olla noua vruntur. Sic viperas cum ſubſtratis quibuſdã medicamentis Galenus vrebat ad ſalem theriacum: ſic fictili nouo incluſa vel patellæ ferreæ, aut ſartagini impoſita vruntur, ceruſa, chalcitis, miſy, ſori, calcãthũ, auripigmentum, ſandaracha, plumbum.

Alia fictili crudo vrũtur, donec id percoctum ſit, vt cadmia, æs.

Alia etiam olla ænea aut ferrea, vt plumbum.

Alia in patina vruntur, vt ærugo, chryſocolla, lithargyros.

Alia in olla ex cinerib. oſſiũ (cruciboluin vocãt) in fornace aurifabrorũ, alia in foco, alia in clibano panis, alia in furno figulorum, alia in fornace chymiſtarum.

Quædam (vt dixi) tam carbonibus obruta quàm olla vel noua, vel cruda, vel patina excepta per ſe vruntur, nulla addita inflammabili, aut vires mutante materia,

ria, vt ossa, cornua, testæ ostreorum.

Alia materiam requirunt inflammabilem, vt sulfur, alumẽ aliquod, salem, hordeum, vt in plumbo vsto & aliis docuit Dioscor. Vas item quo excepta vruntur si fragile est, vt vitreum, ex terra bellouaca & alia lapidea & silicea luto chymistarum prius totum paulatim oblinimus, & paulatim siccamus, quàm igni committamus. Eodem luto vasi operculum sæpe agglutinamus, ne inter ipsa hiatus viam faciat carbonibus, aut cineribus illapsuris, aut effluxuræ materiæ.

Lutum autem id fit ex terra figulina aqua macerata cum stercore equino, & si vis pilis animalium multum diúque subacta, quod & lutũ sapientiæ vocant chymistæ. Eius loco interdum est terra figulina sola, vel gypsum aqua solutum, vel farina albuminibus subacta.

Vas quoque chymistæ operculant labris ipsius colli per fusionem coalescentibus, dum materię sunt pretiosæ, & quas exhalare nolũt. Id autem in matulis tantùm vitreis longo collo efficiunt, sigillúmque Hermetis vocant.

In aliis fictile apertũ esse nihil nocet, si clibano vrẽda sunt: si verò cineribus aut carbonibus obruẽda, operculatur vas, ne aliena

aliena materia quod vrendum est, vt dixi, conspurcetur, vel ne materia ipsa exiliat, vt in sale & lapidibus quibusdam.

Operculum autem nũc solidum est, & integrum, nunc multis locis foratum, vt fuliginosi effluxus exhalent liberius, à quibus est cauendum, præsertim si à vipera, scorpionibus, aut similiter venenosis attolluntur, item si à metallicis.

Vrantur materiæ carbonibus perustis, præsertim pretiosæ, & quæ oculis sunt adhibendæ, vt nihil fumidum habeant, vt Galenus vrebat lapidem phrygium.

Carbones quoque follibus vel flabellis excitari interdum oportet, vt citius vstio absoluatur, vt Galenus in vstione lapidis phrygij iubet. lib. 4. c. ph. p.

Quædam ad idoneam magis vstionẽ puluerentur, alia frangantur tantum in frustula magnitudinis nucis iuglandis, vt lithargyros: vel nucis auellanæ, vt lateres in oleo philosophorũ, & lapis phrygius à Galeno in suo remedio oculari.

Alia etiam in sole æstiuo ex vino vel aceto pluribus diebus teruntur, priusquã vrantur, in c. ph. g.

Plantarũ partes. Quæ omnia his exemplis ex Dios. Gal. Mesue, & aliis fient notiora, folia oliuæ syluestris in olla fictili cruda, lutata, furno

no figulino, per coctionem vasis vsta, lota, ex aqua in sole siccata, albuginem oculi & panos potentius omni pompholyge delent, Albucasi.

Sarmenta ligna, cortices & partes alię plantarum vruntur relicto tamen foramine in operculo, vt fumus exhalet.

Abrotani, asphodeli, ari, arisari, dracõtij vstiorum, cinis Gal. passim vsurpatur.

Brassica non transplantata, à terra expurgata, minutim concisa, in ollam conjecta, foraminulento operculo tecta clibano vritur in carbones, qui triti ollæ alteri impositi, operculati, vruntur donec in album cinerem abeant.

Myrobalani & rha barbarum vsta valentius astringunt quàm assata Mesuæ.

Aloë quibusdam in olla noua super prunas vritur in diamoscho amaro, vt absumpta glutinosa substantia aluum ducere desinat, & magis roboret, ob quam causam etiam abluitur.

Fæx vini siccata vritur igni, donec albescat, & linguam multum mordeat & vrat.

Succinum fictili olla clausum, operculatum nocte igni vritur Bulcasi. *Animalia & ipsorũ partes.*

Thus vstum scribitur in Iside cephalica, lib. 4. c. ph. g.

Vsto thure fuligo qua ratione colligenda

genda docet Dioſc.

Lepus viuus iugulatus cum ſanguine & pelle vaſi fictili nouo traditur, operculatur, in clibano vritur donec puluerari poſſit ad calculum frangendum.

Sic hirundines, ranę, cicadæ, erinaceus, vruntur Gal. lib. 11. ſimplic.

Æſchion cancros viuos in patella æris rubri vſſit donec in puluerem molliſſimũ redigi poſſent contra rabiem.

Gal. li. 11. ſimpli. Teſtę oſtreorum, limacum, ouorũ excluſis pullis, ſericum, oſſa, cornua, vngulæ, vel prunis ipſis vel tegulæ aut ollæ impoſita in clibano. vel foco vrũtur, donec albeſcant, & puluerabilia ſint. Hæc tamẽ non vrenda, niſi medicus iuſſerit, quia vires vſtione mutant. Poſſunt enim tenuiſſimè limari, aut radi, vt cornu rhinocerotis, pudendum tauri, cerui, & puluerari, vel probè limata propinari. ſericum ſimiliter cardiacis miſcendum ſit crudũ, minutim conciſum, cum aliis pulueratũ, vſtum autem medicamentis materias cõ ſumpturis miſcetur, vt diaſenne Nicolai. Spongia bitumine, vel eius penuria pice illita vritur. lib. 11. ſimpl.

Gal. li. 6. c. ph. Lana ſuccida largo vaſi figulino lati oris imponitur, operculatur gypſo, vel glutine: vel terra figulari ſubacta cũ aqua illini

illinitur, vritur fornace, vel camino. Scorpiones viui olla noua incluſi, & operculati, maza vel luto circumlita vruntur igni ex ſarmentis vitium in clibano, vt eius puluꝛeris grana ſex cum ſyrupo radicum quinq; pota renum calculum frangant.

Sic vruntur viperæ & colubri, ambo- *Metallica & terrea.*
rúmque cinis ex oleo illitus ſcrofulas liquefacit. Lithargyros chryſitis, grauis, pura à plũbo, & omni aliena materia in particulas magnitudinis iuglandis confracta, prunæ ſuperponitur, & ita follibus accenditur, vt conflagret: vbi refrixit, abſtergitur inſidens ſpurcitia, & reconditur: alijter aceto aut vino reſtinguentes rurſus vrunt, & reponunt.

Cadmia vritur carbonibus obruta, do- *Dioſc.*
nec translucida ſpectetur, & ferreæ ſcoriæ modo bullet, mox vino extinguitur aminæo, ſi ad emplaſtra paratur: aceto autem, ſi ad pſoricum medicamentum. Sunt qui ſic vſtum, ex vinoq; tritum, iterũ crudo fictili torrent, donec pumicoſa videatur: iterúmq; ex vino tritam vrunt tertio, donec prorſus in cinerem redigatur, nihil ſcabritiei retinens.

Plumbi laminæ quàm tenuiſſimæ, aut *Ibid.*
plumbi limatura & ſulfur alternis vaſis imponuntur, donec plenum ſit, operculatur.

tur, sed relicto exili spiraculo succēditur. dum plumbum ardet, rude ferrea versabis donec tantum perfectè in puluerem redigatur. dum eximes, obstrue nares quòd eius halitus sit noxius.

Ibid. Stibium pinsita farina circumlitum, & carbonibus obrutū torretur, donec ipsa crusta carbunculetur, exemptúmque extinguitur lacte mulieris, quæ marem peperit, aut vetere vino, vel vritur carbonibus succensis, efflatum quo ad ardeat. Si enim paulò magis cremetur, fit plūbum.

Ceruſa trita in fictili nouo, flagrātibus carbonibus assiduè versando vritur, donec cinereum colorem traxerit, vel patinis nouis super prunas tritavritur, & ferulacea rude mouetur, donec coloris sit sandarachæ: sandyxq; tunc appellatur, refrigerata reponitur. sic trita chrysocolla vritur. Sunt qui vrēdo acetum affundunt, vt rubeat: si flaua est, macicot vulgò dicitur.

Ibid. Æs fit vstum ex clauis æreis solutarum nauium fictili crudo compositis superspārso sulfure cum sale pari. Quibus vicissim insperſis fictile semiplenum operculatur, & figulari creta circūlinitur, fornaci inditur donec fictile percoquatur. Modos vrendi alios docet Dios.

Ærugo fracta minutissimè in fictili patina

tina flagrantibus prunis superposita versatur, donec mutata colorem cinereũ cõcipiat: refrigerata reponitur. Si cruda olla vratur, eundẽ prorsus colorẽ nõ reddet.

Chalcitis fictili nouo viuis carbonibus superposito vritur, donec bullas excitare desierit, & perfectè inaruerit, si humidior est: sin alia est, dum mutata in floridũ colorem sanguineum aut miniatum cõtraxerit. Eximẽdo insidens spurcitia tergeatur. Vel vritur perflatis carbonib⁹, donec luteo colore pallescat. Sic misy, sori, chalcanthum vruntur. Chalcanthum autem vrendo suapte natura colorem rubescentem sortitur. Dioscor. in ærugine.

Auripigmentum vritur testa noua viuis carbonibus subiectis assiduè versando, donec igni flagret & mutet colorem. fit enim foris argenteum, intus rubrum: refrigeratum & tritum recõditur. Sic vritur sandaracha, alumen.

Lapidem phrygiũ in particulas magnitudinis auellanæ fractum vres in olla recenti luto circunlita, tecta operculo perforato vel in solo vertice, vel (quod melius est) in pluribus partibus, vt fuliginosi fumosique eorum quæ vrũtur effluxus facilè per ea efferantur. deinde perustis carbonibus perflatis vre, donec ignitus *Gale. libr. 4. c. ph. p.*

sit, cætera ex Galen. repete. Sic cyanus lapis vritur, & alij.

Dios. Sal vritur fictili, diligenter opertus, ne exiliat, conditúsque prunis, donec effervescat vritur. Sic nitrum & spuma nitri, si inueniuntur vrenda sunt. Vitrum tritum interstrata pice vritur, & aqua frigidissima extinguitur, Auẽzoar tamen friabile non fit. Alia plura ex Dioscoride, & aliis huc transcribi potuissent, nisi hæc etiam multa huic ætati omnia hæc negligenti existimassem.

Vstionis terminus in quibusdam est, dum ignitum id abũde fuerit, vt in vstione triplici lapidis phrygij: in quibusdam dum nihil fumidum amplius expirat, nul láque fuligo præterea emergit.

In aliis dum bullas edere desinent. In his quę fictili crudo vruntur, fictilis illius percoctio.

In his quæ farina pinsita circunlinuntur aut luto, crustæ vstio.

DE EXTINCTIONE.

EXTINGVNTVR vel vsta, vel solùm ignita quædam non modo, vt empyreuma ipsum dissipetur, sed etiam, vt in corpus vstione rarefactum vis quædã humoris aut frigoris penetret, vt ferrum cãdens

dens aqua piloſellæ, vel alia aſtringenti extinctum euadit ſolidiſſimum.

Extinctio fit interdum ad purgationē, vt plumbum liquatum ſucco mercurialis calido ſæpe extinctum, & tribulatum, ſtāni puritatem, & ſoliditatem aſſequitur.

Fit item extinctio, vt vires humoris quo extinguitur in ſe trahat, ſic cadmiam vino aminço ad emplaſtra, aceto ad remedia pſorica extinguit Dioſc. ſic Galenus lapidem phrygium extinguit primùm butyro recenti, ſecundò vino falerno, vel alio fuluo, odoro: tertio melle Attico, ne medicamentum ſit aridum, ſed viſcoſi cuiuſdam particeps. Gallæ ad ſanguinis ſuppreſſionem carbonibus impoſitæ, donec vndique candeant, aceto, aut vino auſtero extinguendæ ſunt. *Lib. 7. ſimp.*

Stibium lacte mulieris marem enixæ extinguitur.

Limatura chalybis ſæpe ignita aceto extinguitur, & pulueratur.

His exemplis medicamenta humore extincta ab illo aliquid virium in ſe trahūt. Interdum autem ignita humore extinguimus, vt humoris naturam mutemus, vt dum lapides vel circuli ferrei igniti lacte aliquoties extingantur, vt ſeroſam & mordacem eius ſubſtantiam abſumant,

sitque tunc lac dysenteriis salubre.

Aqua chalybem vel aurũ ignitum sæpe extinguimus, vt ipsa minus humectet, sed sit terrea magis absumpta tenuiori substantia.

Argentum viuum, etiam si non sit ignitum, tamen & saliua hominis ieiuni, & succo saluiæ, aut limonum extingui dicitur, quòd vis eius malefica, & omnia exedens, vt à Plinio rectè dicitur, cum his agitando mitescit.

DE SVFFITV.

SVFFITVS seu euaporatio vi caloris excitata sæpe medicamẽtis adhibetur præparandis & vrendis. Suffitus aromatum muliebria ducit, & vterum infernè retrahit si infernè adhibetur, vel sursum si naribus. suffitus plumarum perdicis, corij veteris, vel aliorum tetro odore præditorum, naribus exceptus vterum sursum ruentem deturbat. Suffitus radicis & seminis pęoniæ, melanthij, styracis, mastiches rosarum, ad capitis affectus pituitosos. Iisdem vel aliis stuppæ suffitu capiti circumponuntur.

Frõtalia ex rosis, violis, flore nymphęæ semine, lactucæ, portulacæ, & similibus: vapore aquæ rosarum, verbenæ, betonicæ,

nicæ,& ſimilium ſuffiuntur ad varios capitis affectus.

Et epithemata ventriculi ex bombace aromatibus farto,vapore ſtomachico præterea ſuffiuntur.

Suſſitus per infundibulum ex radice, aut foliis bechij ſuper tegulam ignitam impoſitis,ad tuſſim adhibetur.

Suffitus ex ſulfure purgato, & auripigmento vſto & loto, probè à practicis quibuſdam aſthmaticis adhibetur.

Suffitu & vapore aceti acerrimi necantur cantharides Dioſc.

DE PVRGATIONE.

VStioni ordine optimo ſuccedit lauatio, quæ empyreuma, & acrimoniã vſtione acquiſitam, vt & natiuam tollat, & vſta expurget:ſed cùm illa ſit purgationis ſpecies, ſatius mihi viſum eſt de purgatione prius agere, quòd eius cognitio lucem magnam ſit allatura lotioni. Purgatio medicamentorum hic accipienda paſſiuè,non actiuè:ſeu quatenus purgantur, non quatenus humores ſibi familiares ex corpore noſtro trahunt.

Purgantur enim medicamenta ſordibus, & aliena quauis materia per deſpumationem,clarificationem, colationem,

resident iam, coctionem, lauationem, excisionem, depellationem, & modos alios pòst scribendos.

Radices erutę radiculis circuncisis, ali quoties abluuntur potius quàm abradũtur: deinde si magnę sint & matrice intus lignosa, parũ confractis lignũ id eximes, deinde siccabis, & repones: sic radicem cichorij, apij, petroselini, fœniculi purgam⁹, & eryngij, sisari, cari, dauci, pastinacę.

Est quando putre etiam aliquid excidendum est à radice iridis, enulæ, bryoniæ, sigilli beatæ Mariæ, rha barbari.

Radicem ari, dracũtij, asphodeli, satis est excisis radiculis lauasse, cùm cortice constent tenuissimo, vti & radix chelidonij parui, cotyledonis, satyrij.

Scilla cultello ex cypresso quibusdam desquamatur, in qua mirum est ferrum vitari, cùm pistillo ferreo teratur ad succũ extrahendum.

Herbæ raro purgandę nisi aridis foliis, aut stipite lignoso, quanquam & ablui debeant, si terreno aut luto sordidæ sint, vt iussit Dioscorides.

Seminibus sæpe duplex, interdũ triplex debetur purgatio. Vt legumina siliquis, cerealia glumis, baccæ halicacaborum vesicis, semina fructuum carne, semen

rici

ricini, vrticæ maris, castanea echino, semen papaueris, hyoscyami, lathyridis, paliuri calice, & alia ad portionem. Quæ omnia iterum cortice tenui & interiore sępe purgãtur, vt pòst audies. Nux iuglãs, & auellana, & amygdala carne viridi, deinde cortice duro, postremò pellicula, & alia plurima similiter. Hic autem de tertia purgatione agendum, quòd aliæ à vulgo fiant, & purgata hæc vendere consueuerint, & zeam, oryzam per moletrinas gluma purgant, & vendunt.

Cortice ergo seu pelle purgantur semina cnici, cucurbitæ, cucumeris, melonis, citruli, citri, vt solæ superstint medullæ, ídque multis modis. Quidam enim hæc insolant, deinde cortices in mortario leuiter frangunt, manibus fricant, donec à medulla cortex separetur. Cribro tunc idoneo medullas transmittente, & cortices retinente cernunt. Alij etiam solis loco, igni leuiter frigunt: sed medullæ sic extractæ graue olent, & sunt ingratæ sumenti, vt calfactum oleum. Forficulis alij singula semina purgant, quod operosum est, vt vnguibus & dẽtibus quod impurius est, qui mod' hodie est cõsuetior. Sunt qui hęc sole siccata in magna quãtitate friant pistillo ligneo, cribro raro cer-

nunt,iterum terunt & cernũt:si corticum particulæ simul transeunt, vãno euolant. Semen sesami purum aqua modicè salsa irrigatur, manibus confricatur, iterum irrigatur,donec madefiat: extensum linteolo siccatur, modicè assatur, sacculo aspero immittitur, fricatur multum donec depelletur, cortices vento aut halitu expurgãtur, vel in aquam frigidam iectis cortices supernatãtes deraduntur. Sic semina cucumeris, cucurbitæ, melonis, citreoli,ad olea ex his facienda excorticantur Mesuæ,non autem ad vsus alios.

Amygdalę,pistacia,strobili,nuces,& similia aqua frigida per noctem, vel tepida parum diu macerata corticem mox remittunt. Item si in sartagine assentur igni donec depellentur, sed hoc modo malè olent, & oleagina magis euadunt. Sunt qui recentes hos nucleos palea frumenti obruunt, sicq; cadit cortex: alij cultello malunt depellare: præsertim cùm oleum amygdalinum recens exprimendum est in potum colicorum, aut nephriticorum. Alij etiam non depellatas terunt,& exprimunt oleum purum,& iucundum.

Hordeum, triticum & cerealia alia, & legumina depellari possunt,affusa identidem aqua calida: pistillo ligneo batuuntur,

tur, ſiccantur, parum niſi æſtas eſt ventilantur, perſiccantur, reponantur.

Eſt tamen quando corticis vſus eſt maior, vt in piſis & fabis, & aliis. Eſt quando ſolus expetitur, vt in rhoë, radice apij, fœniculi, ellebori, turbith, cinamomi, & aliis corticibus dictis lib. 1. methodi medicamenta componẽdi. Ricini ſemen echino inſolato, vel frixo per ſe, aut confricatu facilè exilit: depellatur autem quomodo dictum eſt terendo, ſed mitius ne ob multam humiditatem cohæreant: ſic baccæ lauri. Vel ex non excorticatis, ſed pertritis oleum extrahatur. *Meſ.*

Colocynthis cortice & ſemine purgatur, ſoláq; pulpa in vſu eſt medicorum.

Cydonia & fructus alij condiendi intus & foris purgantur.

Caſſia corticibus & membranis ligneis exempta ſeminibus purgatur per cribrũ ſetaceũ rudicula, vel cochleari, vel manu: ſunt qui efficiunt fœlicius cum vapore ex decocto aliquo medicato ſubeũte. Interdum humore aliquo ſoluitur, vt in dia manna Meſuæ. Sic thamar indos purgamus, ſed hi ferè humorẽ poſtulant, vt per cribrũ tranſmitti poſſint, vt manna humore calente ſoluta in cribro folia ilicis, cui fœlicius inſidet, & ſordes alias dimittit.

Dactyli cultello intus & foris purgantur, vt abundè diximus libro tertio methodi medicamenta componendi.

Succi purgantur feruore, resídendo, clarificando, colando, vt in syrupis dicemus, & in clarificatione & colatione diximus.

Gummi Arabicum, tragacanthũ, & similia trita negligẽter si sunt sicca, in vase vitreo aqua pura vel rosata merge nocte vna, misce manu postridie donec liquescat, cribro puro cola, etiam manibus deducendo: vtere, vel siccatum repone.

Galbanum etiam laudatissimum retinet aliquid adiecti seminis, & ferulæ: id ante vsum sic purgabis. In aquam feruentem dimitte: cùm liquatum fuerit, linteo puro, raro cola, aut sordes supernatantes concha detrahe.

Sic liquores alij humore idoneo soluti colando purgantur à seminibus stipitum fragmentis, & cæteris excrementis, quæ per negligentiam, aut institorum malitiam ipsis accreuerunt.

Adipes, cerebella, sanguis, & aliæ animalium partes medicamentosæ, qua ratione purgandæ sint, paulò pòst audies inter ea, quæ pluribus pręparationum differentiis simul à nobis parantur.

DE LAVATIONE.

LAuatio purgationis, vt dixi, ſpecies ferè fit ad ſordium aliquarum ſeparationem: abuſiuè tamen etiam imbuere, medicato humore medicamenta aliqua lauare Meſues, & alij vocant. Lotionis vires ex Meſue repete. Lauantur aqua foris radices, herbæ, fructus, ſemina, ſi luto, puluere, vel re alia ſunt contaminata: aqua ex ea toties mutata, donec pura maneat, & ſordes omnis ab his deterſa erit, etiã ſi ſint roſæ, violæ, intybus, & aliud cichorij genus, & adianta: poſtea autem ſiccantur pannis, vento, ſole, igni, ſed mitiſſimo, ne medicamenti vim diſſipet. Hęc autem lotionis differentia omnibus conſuetiſſima, quia paruarũ eſt virium, ſi alteri mox dicendæ conferas, pluribus ob id declaranda non eſt. Lotio alia intus & ſimul foris fit, ſeu per totam rei lauandæ ſubſtantiam.

Lauantur tota ſeu intus & foris plurima propter cauſas quatuor à Meſue lib. 1. ſcriptas, & alias quaſdam hic ſcribendas, & paucis perſtrictas lib. 3. methodi medicamenta componendi.

Vt autẽ humor omnem lauãdi corporis partem quãtumuis exiguam attingat, & lauet ac purget aliqua ſubſtantia noſtro

stro proposito aliena, si id est durum, aut lapidosum, ante lotionem est tenuissimè puluerandum: si est citò liquabile, calfaciendum: si per se est liquidum, quale est lauabitur: ac etiam si per se in aqua, aut humore alio promptè dissiliat ac dissoluatur, vt bolus armenia, calx.

Quæ igitur promptè liquantur, vt oleum, cera, pix, resina, modicè calefiant, & mox infundantur in vas magnum oris lati, semiplenum aqua purissima, experte omnis odoris, coloris, saporis, quem sensus percipere possit, quæ ex sole vel igne tepeat. Tunc manibus multum diúq; agitentur, ab agitãdo deinde quiescatur, donec id pingue totum quod lauas supernatet. Id quod talibus promptum est ob innatam leuitatem, prẹterquam oleo nimiũ multa agitatione valentiùs confuso cum aqua, vt mox dicam. Tandem aqua illa abiecta, similis affundatur, ídque tertio & quarto, ac toties repetatur donec medicamentum in aqua illa deposuerit omnem illam vel substantiam, vel qualitatem nostro proposito multum alienam, seu quo ad aqua nullam ex loto medicamẽto talem substantiam vel qualitatem, vt colorem, odorem, saporem amplius recipiat, quam visu, olfactu, gustatu deprehendas.

Effun

Effunditur autem aqua per foramen aliquod subiectum, quod interim dum lauas luto obturaueris, aut vase inclinato pingue in vas aliud effunditur, & aqua abiicitur. Alij aquam pingui miscent in vase vtrinque habente foramen angustũ, operculandũ digitis inter agitandũ, dum verò per horam resederit, aqua effunditur, noua infunditur: ídq; fit toties, donec acri, & flaua olei humiditate detersa, oleũ dulcius, & album euadat.

Oleum tamen lauando minus est verberandum, ne adeò aquæ misceatur, vt pòst ægrè possit separari: sed ita verbera, vt dum quiescere paulisper permiseris, ipsum totum innatans detrahere possis. Lotum id oleum componendis oleis, & medicamentis aliis albis, aut frigidis est optimum & vsurpandum.

Dura autem & lapidosa, vt metallica, lapides, ossa, testæ, succi siccati, lachrymæ siccatę, antè leuissimè sunt terenda, deinde aqua pura subinde mutanda, manibus vel rudicula agitẽtur, quoad nihil sordiũ medicamenti aquæ innatet, maneátq; aqua medicamenti qualitatum, vt coloris, odoris, saporis omnino expers. Non antè verò aqua est effundenda, quàm lauandũ corpus quiescendo in fundum vasis subsede

sederit: quod metallicis, & terreis corporibus ob insitam grauitatem facilè accidit, vt prædictis innatare, ob naturalem ipsorum leuitatem. Effunditur autē aqua per os vasis paulatim inclinati, ne motus vehemens corpus lotum aquę iterum cōmisceat, & cum ea effundatur: satius enim est aquæ prioris aliquid remanere quàm lauandum corpus effundi.

In his autem vas in fundo pertusum, in liquabilibus prædictis vtile, damnatur, quòd ad id grauia hæc repant, quæ si per foramen id vacuare tentes, aut ipsum obstruent, aut aqua penetrare habilior cum ipsis vacuabitur. Possis & per licia pannea, philtra vocant, distillando aquam paulatim vacuare, præsertim dum corpus lauandum est precioſius. Nam sic nihil, aut minimum eius cum aqua vacuatur, sed illa vacuatur purior, & corporis lauandi substantiæ expers magis.

Sic lauātur plumbum, cerusa, lithargyros, scoria plumbi, æs, ærugo, chalcitis, & congeneria, cadmia, spodiū, pompholyx, stibiū, cyanus, calx, & metallica cætera, ac lapidosa, ossa, os sepię, cornu cerui, caprę, vngula capræ, testæ ostreorum, & similia.

Cùm verò dura illa teri antè molliſſimè debeant quàm lauentur, teri autem non possint

possint citra vstionem, antè, vt prius est dictum, sunt vrenda: quanquam horum multa citra vstionem teri possunt, vt cadmia præsertim lapidosa, chalcitis, chalcanthum, cerusa, pompholyx.

Adde quòd liquabilia promptè, & dura, & horum media, si humore medicamentoso lauantur, etiam per noctem in illo resideãt, vt plus virium eius in se trahant: interdiu enim lauanda sunt, ac potissimùm in sole feruidissimo: præsertim si qua sicciora, tenuiora, albioravolumus. Lauantur enim non aqua fontana, & pura solùm, sed marina, sulfurosa, bituminosa, vino, aceto, lacte, muccagine, succis plantarum, decoctis aromatum, vel aliorum medicamentorum etiam purgantium, vt ex Mesuæ simplicibus patet: omni deniq; humore, sed quem doctior medicus iusserit, ne sibi hanc deligendi humoris potestatem pharmacopœus arroget. Est enim quando calida humore aliquo calidiore vult intendere: vel remittere frigidiore: est quando vires alias mutare instituit.

Quæ verò est in colore solo medicamẽti mutatio, esse possit in pharmacopœi arbitrio, modò vires nihil mutet. Vt si medicus impauit, hoc vino aliquo austero abluendũ, pharmacopœus autẽ velit albius,

& ele

& elegantius reddere medicamẽtum, lauare id poteſt vino aliquo albiſſimo, modò id ſit, vt iubet medicus, auſterũ. Odorem ſimiliter diligere illi non permitto, quòd ea cui odor ineſt ſubſtantia, maiorum eſt virium: ad hæc quòd odor additus, vel huic hominum proprietati, vel cerebri, cordis, vteri affectibus curandis nõ conuenit. Multò minus ſaporem medicamento hunc vel illum, vel qualitates alias inſignes per humorem à ſe delectum ad lauandum, dederit pharmacopœus.

Gal. in fine lib. p. c. ph. g. Metallica itaq; curioſè læuigata, lauantur ex aceto, vel marina, ſi vlcera ſunt tumida, cum oris craſſis, & calloſis, attenuationem multam requirentibus: aqua autẽ, ſi humores in vlcus affluẽtes ſint acres & mordaces: vino, ſi humor vlceri largior affluit. Ex his humoribus per plures dies tribulentur metallica, donec erunt pura, candida, perſpicua.

Quæ ex metallis ad punctos neruos, aut aliter vulneratos, partibus neruoſis adhibentur, omnia eſſe elota oportet, ſi modò citra morſum ſint ſiccatura. Cera quoq; & terebinthina, ſi his medicamentis miſcenda eſt, ſit elota, & multò magis reliquæ reſinæ, ſi immittendæ ſunt. Nam medicamẽtis omnibus quæ laueris, acris

&

& mordens sanies eluitur & abstergitur.

Hæc in vniuersum de durorũ,& mollium , & mediorum lotione sufficiant: nunc particulatim de quibusdam agendum , primùm plantarum partibus reliquis, deinde metallicis.

Aloë optima, trita creta, ex aqua fontana purissima dupla aut circiter , agitetur aliquandiu rudicula ferrea aut lignea in vase lato stanneo , vel terreo, vel alio. tecta sinatur horæ quarta parte , aut paulò diutius subsidere : tunc quod clarius supernatat , inclinato vase in aliud simile, sed minus, per colum setaceum transuasetur : aut si puriorem, sed parciorem vis aloën lotã , licio aut filtro excoletur , aut diutius residere permittatur in vase præsertim vitreo , interuallis paruis foramina habente, spina, aut cera obturata, per quę quantum videris clarum sine effluat, ne scilicet inclinato vase turbari queat: aquam nouam affunde, subige, sine, elutria: id fac quater, quinquies, donec arenosa,& terrea tantum fex supersit. Primã omnium præstantissimam per se insolatu sicca, alias omnes simul. Si autem hyems est, aut lota aloë in rem præsentẽ egetur, igni lento siccari potest. Dum autẽ siccata iam aloë est ex vase ipso eximenda: ca-

lefiat vas parum, vt promptius ab eo aloë ſeparetur, & imam eius partem, in quam quod craſſius eſt ſubſedit, cultello derade, vt in panibus cereis fieri ſolet.

Quod ſi nondum pura & perlucens ſatis appareat, iterum teratur, & lauetur vt prius, idq; ſi libet, tertiò, quartò, fieri poteſt, ſi medicus iuſſerit. Nam toties lota aloë acrimoniam & vim purgatricẽ propè totã amittit & calorificam, licet in ea portio aloës tenuior cõtineatur, quæ his qualitatibus exuta roborat magis, ſoluit minus. Hæc eius lotio magni æſtimanda eſt, qualis dum fęcẽ vini vſtam, & calcem viuam lauas, dum ſubſedit, aqua hęc effuſa ſiccatur in cauteriũ omnium præſtantiſſimum. Quæ lauandi ratio planè eſt ab aliis diuerſa, in quibus aqua ipſa abiicitur: in hac lotione ſola ſeruatur. Aloën verò ſi laues, ter, quater, & dum reſederit aquam abieceris, quod relinquetur amaritudinem quidẽ exuerit poſt aliquot lotiones, ſed impura & fæculenta tantũ aloës pars fuerit. Si autem aloën lęuiſſimè pulueratam, & cretam aqua pluuia, tanquam magis aloën permeante ob tenuitatem, vel intybi, vel roſarũ, vel alia ſimplici, aut compoſita imbuas, deinde inſolatu aut igni ſicces: idem ſecundo, tertio

Gal. li. 7. met.

repetas

repetas, lotio nõ est nisi abusiue loquentibus: sed verius, vt sic dicam, imbutio. In quo genere præparationis est, quę à Mesue in simplicibus scribitur aloës macera tio ex decocto aromatum, vel specierum hieræ picrę Galeni: lotio enim non est, vt nec quæ Albucasi in Seruitore multiplex describitur, quia nullam ipsi aloë aufert aut substantiam, aut qualitatem, sed suas illi facultates impertit. Fuerit igitur verius infusio, maceratio, & (vt sic dicã) imbutio. Quæ quibus & quãdo facienda sit, medici solius est instituere. Ob id hoc loco de his agendum fusius non putaui.

Nec sarcocollæ, aut cancami est lotio, dum ea trita, lacte asinæ, vel capræ, vel potius mulieris recẽtissimo humectatur, non autem mergitur, ne lac ante acescat quàm siccetur, deinde insolatu mox siccatur, idem opus quinquies repetitur: sed infusio, aut nutritio magis fuerit.

Nec cardamomi aut cumini in aceto maceratio rectè cũ Bulcasi, & aliis lotio vocetur, nisi, vt dixi, abusiuè loqui se fateatur. Sed hæc de nominibus nõ de re discepta tio finienda est, ad rẽmque propositã nobis redeundum. Cancamum tritum aqua fontis, cui aristolochia, & schœnanthum aqua incocta fuerint, lauat pistillo sem-

per agitando Pandectarius, quoad aqua clarescat, quod resedit coletur, & siccetur. Tenuius sic euadit, & magis aperit.

Acacia vera Galeno lauatur ad tollendam ipsius acrimoniã: nobis prætereunda, quia desideratur, & eius loco succus prunorum agrestium, acrimoniæ expers substituitur, qui lauatur tamen aliorum succorum modo, ex aqua dulci, aut lacte, vt sit anodyna magis. Nã valenter astringentia exasperant non leniunt, vt in remediis ophthalmiæ docet Gal. lib. c. ph. p.

Tragacanthum tritum aqua pura aut rosata macerãt nocte vna: postridie muccaginem colant, & nisi mox vtenda sit, siccãt ac reponunt prolotáque vsurpant practici quidam.

Ga. initio lib. 4. c. ph. 8. Lithargyros, chrysitis, aut eius desiderio argyritis, aut alia, multis modis abluendo albatur Dioscor. lib. 5. Potest autem lauari, vt metallica cætera trita creta, ex aqua pura aliquoties mutata: tribuletur, resideat, aqua paulatim effusa noua indatur, vt antè dixi.

Cadmia lapidosa, vt siccet magis Galeno lauatur per ęstatem in sole pluribus diebus terẽdo in aceto acri, aut vino planè suluo, & substantia perlucido quale in Gallia, Aurelianense & Belnense, quod multò

multò maximè ſiccare natum eſt, deinde ſiccatur & reponitur, ac vlceribus malignis inſpergitur. Cadmia autem Dioſc. in mortario trita lauatur, effuſa ſubinde aqua dum ſordes nulla emergat: deinde coacta in paſtillos reponitur. Sunt qui lauant, vt pompholygem. Scoria ferri trita diebus octo maceratur aceto, quotidie mutando, die nono imponitur laminæ ignitæ, vt torrefiat. Sic præparata valet compoſitioni Raſis ad omnem ſanguinis fluorem immodicum. *Lib. 9. ad Almanſorem. Dioſ.*

Plumbũ poſt vſtionem lauatur modo omnibus duris cõmuni, vel etiã hoc modo. Aquã paucam in mortario plumbeo agita piſtillo plũbeo, donec nigreſcat & craſſeſcat, tunc per linum aquam cola ter quater, ſine ſubſidere: laua ſubſidentiam aqua pura donec ea amplius nõ nigretur.

Vel plumbi limaturam cum aqua crebra tere in mortario, donec aqua ſæpe mutata nigrari deſinat.

Pompholyx linteolo modicè raro ligata in vaſe aqua pluuia vel fontana pleno huc illuc ducitur & tribulatur, vt pars eius vtilis & tenuior in aquã effluat, & omne excrementum in linteo remaneat: reſidere ſinas, & effundas, noua deinde aqua affuſa idem opus repete, ídque donec in

linteolo nihil vtile maneat. Modos eius abluendæ alios lege in Dioscoride.

Sic spodium lauatur, excrementosum tamen magis est: Sic interdum & cadmia lapidosa. Nam fornacaria (quæ vulgo tuthia & male pompholyx dicitur) modo aliorum metallicorum lauanda est, & scoria plũbi in mortario lauatur aqua pura toties mutata, dum à scoria luteo colore amplius non inficitur, digeritur in pastillos Dioſc. Stibiũ, ceruſa, æs vstum eidem lauantur, vt cadmia, vel plumbi scoria.

Abluitur lapis cyanus, vt Armenius Alexandro Tralliano, in aqua cõmuni trigies, vel qua dragies mutata: deinde aqua bugloſſi, vel roſarũ decies lauatur, vt in antidoto cocci baphicæ, & in catapotiis ex his lapidibus.

Gal. li. 6. met. Dioſ. Calx aqua marina bis tẽrve lota per æstatem sub æstu caniculę, puncto neruo medicamentum est vtile, cum oleo.

Chrysocollã tusam infusa aqua mortario, expansa manu eidẽ vehemẽter affrica, & vbi cõsederit cola, altera quoq; affusa aqua rursus tere. Hæc vicissim prosequere, donec pura sinceráque spectetur, deinde siccatam in sole, ad vsus reconde.

Terram Lemniam sic lauabat Dianæ sacerdos in Ephestiade Lẽnij vrbe. Hanc aqua

aqua macerabat, & in lutum redactã valenter conturbabat, deinde paulum quiescere sinebat, tunc aquam supernatãtem auferebat, & mox quod sub ea erat lutũ, tollebat relinquens tanquam inutile lapidosum & arenosum illud, quod in imũ subsederat, lutum illud pingue siccabat, dum mollis ceræ consistentiam acquirebat, tunc in paruas huius portiones sacrũ Dianæ sigillum imprimebat Gal. lib. 9. simpl. & paulò post. Terra autem omnis lauatur eodem modo: primum enim maceratur aqua nullam qualitatem medicamentosam habente. Vbi lutum consedit, effunditur quę innatat aqua, quod lutosum est separatur à lapidosis & arenosis, quæ ad imum resederũt. Gustatus autem tibi index est accuratus, quam oporteat terram lauare, & quam non.

Quædam enim non solum terra, sed alia quoque corpora lauari non postulant: quædam semel, vt terra Lemnia, quædam bis, vt quædam terra Eretriẽsis.

Bolum Armeniam similiter lauabis. Sunt tamen qui aqua rosarum ter lauant, totiésque siccant. Potest sine lotione vsurpari, cum nullam qualitatem manifestam præ se ferat: sed facultate occulta valeat, & vi siccatrice.

DE PLVRIBVS SIMVL PRAEparationum differentiis.

QVanquam in prædictorũ plurima, multæ ſimul præparationum differentiæ cadunt, tamen viſum eſt ſeorſum de his quę multis præparationum modis egẽt. Lapis, quo vitra dicta lapidea fiunt, concretus ex cineribus herbæ (quam vulgus ſodam vocat) in foſſa terrea vſtæ, tritus, cribratus, aqua tanta mergatur, vt digitis duobus aut tribus ſuperet, miſce, permitte fæces reſidêre, clarã partem per filtrum, vel liciũ deſtilla: quod clarum eſt clibano, vel igni ſicca. Salem coagulatũ, alkali Arabibus dictum, albiſſimum, inuenies multis medicamentis vtilem.

Eryngium intus & foris purgatur, in fruſta ſecatur, caryophyllis, & cinnamomo farcitur, percoquitur. Sic enim ſatyrij radix quibuſdam.

Amylũ ex tritico delecto, craſſius confracto, nocte vna macerato aqua pura, quod poſtridie exprimes: cúmque amylũ ſubſederit, inclinato vaſe aquã clemẽter effunde, ſicca cito, igni, vento, ſole, goſſa pio, præſertim hyeme, ne aceſcat: ſiccatũ repone vaſe mundo operculato. Paulò diuerſius hodie fit, ſed nulla virium differentia. Ex hordeo, oryza, & aliis ſimiliter

fieri

fieri potest. Agaricus tritus cum vino, cui zingiber infusum sit, in trochiscos fingitur, siccatur, reponitur, vtendi tempore teritur, aliis miscetur. Sic colocynthis, scilla in trochiscos formata mitescunt.

Myrobalani multiplicem habent præparationem Mesue in simpli. & in E. alharil. liquores, ammoniacum, galbanum, sagapenum, opopanax, & liquores alij ac gūmi aceto, vino, vel alio humore, quem medicus iusserit nocte vna macerantur, dissoluuntur, cribro setaceo percolantur, vt semina, & ligna, & excrementa eorum alia colo remaneant, percoquuntur ad humoris illius consumptionem: aliis extra ignem miscentur.

Gossapium, bombacem & cotonem vocant, vino cui incocta sint aromata cephalica, aut stomachica, vel parti alij familiaria per noctem maceratur, siccatur, carpitur, applicatur loco pāni quisquiliati, vel eius tomenti, quòd hæc ad infectionem aliena quædam recipiant.

Sunt qui hæc epithemata similibus quoque medicamentis farta, & vtrinque tecta densius interurunt.

Cerebella passerum vere occisorum luantur, purgantur. Ex his decem cum vitello oui subacta, parum igni friguntur,

deinde sole vel igne siccantur, adiecto si libet pauco melle ad venerem incitandam parantur: alij vt adipes, & medullas parant. Pulmo vulpis lauatur à sanguine, clibano siccatur, reponitur, teritur, cum aliis miscetur vtendi tempore.

Tunica interior gallinarum lixiuio calido hora vna maceratur, ter lauatur, deinde vino ter maceratur, & ter lauatur: iterum lixiuio, post vino, & siccatur clibano ex quo panis extractus est. Viribus tamē nullis valet Galeno in simp. lib. 11.

Hepar lupi ad hepatis affectus quosdam vino albo optimo lauatur, inspergitur puluere tenuissimo santali flaui, siccatur, absinthio in scutella inuoluitur, octauo quoque die mutatur, absinthium reponitur loco sicco.

Intestinum lupi ad colicam efficacissimū vino albo optimo lauatur, inflatur, siccatur, extra fumum & puluerem, absinthio inuoluitur.

Obserua hic & mox in coagulo inuolutionem, & in Mesue simpl. & compositis sæpe præparationis quandam speciem: quam sciens omitto, quia rarior est aliis.

Cutis pedum & rostrorū bouis & ouis igni lēto diu coquūtur, donec veluti coagulum remittat. Id exemptū siccatúmque

in

in aëre perflatili, ad hernias cõmendatur.

Coagulum ex recens occiso animali, tenello, sale inuoluatur, insoletur, seruetur.

Hircus quadrimus, sanus, bene habitus canicularibus diebus saxifragia, apio, petroselino, fœniculo, pulegio, hedera, schœnantho, genista, adiantis, lupulis, & cæteris calculum frangentibus nutritus, vino optimo & tenui potatus, in sole dies 40. versatus, donec vrina nigrescat: tunc decolletur, & sanguis non primus nec postremus, sed medius excipiatur olla pura, aut patina. foliis prædictis instrata: dum cõcreuerit, incidatur per latum in partes duas. Siccetur sole vel luna tectus reti aut panno raro, vitetur ros & pluuia.

Adipes recentes aqua pura aliquoties loti in vase semipleno, liquantur sole vel aqua calida in vase duplici, tepore, aut cineribus: & quod liquatũ erit, sensim effundatur in vas aliud. Vel igni liquẽtur & colo tenuissimo trãsfusi seruentur. Sic adipes liquatos colãdo à membranis & aliis purgat Gal. in emplastro diachalciteos. *Dios.*

Cãtharides vere forficulis prehensas, & immissas phialæ oleo obrue, & insola, donec putrescant: vel vase fictili non picato cõde linteo raro, vasis os subliga, eóque deorsum verso excipe halitum aceti *Dios.*

quàm

quàm acerrimi feruentis, donec æstu examinentur, postea lino trāsfixę reponūtur.

Transfixio hic & in scilla, in radicibus elignatis seruandis, etiam est præparationis species: sed cuiq; perspicua, & sæpe ad siccationem & repositionem necessaria.

Carnes ericij, leonis & aliorum quorundam animalium seruandæ in vsus medicos, ante quater, quinquies, semper tamen per horam lauandę vino calido dulci, in furno leuiter siccatæ seruantur.

Caro cancrorum ad antidota analeptica secreta, ter lixiuio, vel aqua salsa lauatur, donec odor teter abierit. ex aqua hordei, aut sero butyri coquantur.

Ceram in aqua liquabis, extrahes autē impositis ipsi phialis vitreis aqua prius tinctis, quibus quantum adhærebit forma scintillę, insola Iulio mense, donec albescat. Vel ceram ex aqua dum nigruit mutanda, coque donec sit alba.

Hæc de medicamentorum præparationibus sufficiant.

DE